H.Asiæ et Afr:

23. N.

4212
cJLL

JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.



RPJCB

DE INDIA,
Ejúsque Glorioſa
JUVENTUTE SERMONES
HABITI
A RHETORIBUS VIENNENSIBUS
ET
HONORI
Illuſtriſſimorum, Perilluſtrium, Reverendorum, Prænobilium, Nobilium, Excellentium, ac Doctiſſimorum Dominorum, Dominorum AA. LL. & Philoſophiæ
DOCTORUM
Ab iisdem inſcripti;

Dum per Reverendum Patrem
AUGUSTINUM HINGERLE,
è Soc. JESU, AA. LL. & Phil. Doctorem, ejusdémque Profeſſorem Emeritum; nec non p. t. Seniorem, & Conſiſtorialem,

Supremâ AA. LL. & Philoſophiæ
LAUREA
Ornarentur
Anno M. DCC. XXVI. Menſe Julio, Die

VIENNÆ, typis Wolffgangi Schwendimann, Univ. Typogr.

BIBLIOTH. UNIVERSIT. VINDOBONENSIS.
RPJCB

ILLUSTRISSIMI,
Perilluſtres, Reverendi, Prænobiles, Nobiles, Excellentes, ac Doctiſſimi

Domini, Domini

DOCTORES.

COnſuetum laboris noſtri vectigal pendimus, Vobis de Suprema, quam hodie à Philoſophia adepti eſtis, Magiſtri Laurea gratulantes: attigiſtis tandem aliquando Triumphatores Litterarii eum gloriæ verticem, ad quem per tot ſtudiorum certamina, ambiguis, & obſcuris viis triennio propè integro fuiſtis eluctati. Quieſcite duplici ſub Lauri umbra, & ſepoſitis tantiſper ſeverioris Minervæ curis erudito fruamini otio. En Sermones de India, ejúsque glorioſa Juventute veſtris inſcribimus honoribus, eósque in Do-

ctrinæ ſolio conſidentibus offerimus. Diſplicere vix poterunt, niſi iis, quibus præter patriam nîl notum, regna cetera, & terrarum partes in Lunæ concavo ſitæ eſſe videntur. Illuſtria legetis Juvenum facta, quorum dum numerabitis victorias, recurrent animo triumphi, quos amico inter vos certamine toties meruiſtis. Mores Barbarorum inſerimus, aut laude, aut vituperio dignos; in his beatitatem Patriæ Veſtræ celebrabitis; in illis legetis ſæpe ea, quæ utinam & nos imitaremur! Accipite proinde munus hoc, quod à Suada defertur: leve eſt illud quidem, ſi molem ſpectatis, vile, ſi ſermonis humilitatem; verùm cogitate, minorem eſſe ſenſum ad ſingula, qui laborum varietate diſtractus pluribus eſſe intentus debet. Neque nos, qui ſudore veſtro ſignato tramiti anno venturo inſiſtemus ſtrenuè, deſpicite

Honori Veſtro

Addictiſſimos

Rhetores Vienneſes.

§. I.

Operis inſtitutum exponitur, & Indiæ Orientalis ritus deſcribuntur.

Cùm vergente ad veſperam die aliquantulum nimii ſe ſe calores fregiſſent, die à Muſarum imperiis libera, collecto jam, ſepoſitóque, quod cras Suadæ litarent, tributo, Leottus cum dilecto ſibi Angelo-Montio in ſylvam, quam Pratter dicimus, curru delatus eſt.

Eſt locus ante alios longè gratiſſimus hortos,
  Et ſylvas inter nobile nomen habet.
Hunc Iſter gelidis præterfluus alluit undis,
  Queis ſimul æſtivas mitigat ille faces.
Arboreúmque genus, decus altum, inſtantibus umbris
  Tecta dat, & gratas fingit utrinque domos.
Concinit æthereis reſpublica muſica campis,
  Atque ſuos reddit ramus, & aura ſonos.
Sirenes nemorum (nam tanta eſt copia) nemo
  Non credet patrios hìc ſtatuiſſe lares.
Hæc primam reduci dat Phæbo turba ſalutem,
  Hæc canit extremum, luce abeunte, vale.
Quin etiam media volucri dum nocte tacetur,
  His ſonat aligeris garrula ſylva choris.

Quo-me-cunque fero, ridentia ſidera Floræ,
  Sive videbo tuum læta Diana decus.
Huc, quando occidui merguntur in æquora ſoles,
  Ponere curarum pondera feſſus amat.
Vindo-bonæ quisquis merito celebratur honore,
  Magnificíque Dii, Magnificæque Deæ.
Nam ſera clauſa alios plebeji ſanguinis arcet,
  Qui venit huc, ſignum nobilitatis habet.

Hìc ubi prima patent, & amæna viriditate ſuas ad umbras, deliciásque invitant nemorum theatra, currum, ùt fit, deſeruêre ambo, ut jucundam inclinato ſole, quâ ſe Rhetorico labori redderent, deambulationem peragerent, & vires liberiori ab aura novas caperent, vel ſaltem nimio ſtudiorum æſtu defatigatas reſtaurarent. Nam mira ſerenitas Phæbi funus comitabatur, &

Lenè ſuſurrantes Zephyri, pérque ora ruentes
Dulcia criſpata libabant baſia fraude.

Vix amicos inter ſermones centum paſſuum itinere proceſſum eſt, poſtquàm nobili certamine de ſiniſtra certâſſent, variatóque prælio ignotum reliquiſſent, quis ſocio invitus modeſtiæ palmam ceſſerit, cùm nota vox Leotti ad aures labitur, quâ non procul abeſſe, dubius tamen, ne fallatur, Danalum ſuum intellexit: non diu alternas vices ſpes, metúsque tenuerunt. Optima enim ſors, dexteram in partem verſis Danalum, Fratres Florivallios, Sen-

Sengemenium amœniore in xyſto, quem altæ, frondoſæque arbores obumbrabant, inambulantes obvios dedit; Rhetores omnes, quos & nobilitas, & ingenii excellentia, virtutum non minùs, quàm ſtudiorum fecit æmulos,& imitatores;dictis,auditísque ſalutationum formulis, mutuósque inter amplexus omni humanitatis officio exſoluto, Danalus: Heus amici! quos inopinatus quidem, exoptandus tamen caſus conjunxit, eos hodierna dies, donec reduces currus noſtros repetemus, inter nemoris gaudia non ſejunget. Summa erat voluntatum conſenſio, imò tanta, ut, licèt Angelo-Montius generoſior ceteris viridi in diæta (ùt juniori Plinio loqui placuit) viæ metam conſtituerit, Florivallii, etſi tam longis ambulationibus non aſſueti, quin comitarentur, minimè fuerint deterriti. Providus magìs Leottus, Gibellium, quo à ſervitiis utitur, advocat, ponè ſequi currus imperet, ne laſſis pedibus idem iter eſſet remetiendum. Aſt via longa videri non potuit, nam cumulatæ undique aurium, oculorúmque deliciæ, earúmque inſatiabilis varietas, quæ amænitate oculos, voluptate animos, admiratione mentem continuò paverant, omnem, ſi quæ pedum erat moleſtia, ipſiúsque temporis diuturnitatem

fallebant: modò ſuſpenſo greſſu luſciniarum Cantus auribus accipere, ſuavi hac muſica recreare animum, abripi, totíque in avem taciti abſorberi, modò Pandioniadis Metamorphoſim recolere, dum

Flet Philomela nefas inceſtûs Tereos, & quæ
  Muta puella fuit, garrula fertur avis.

modò carmen addere, & metri ſuavitate volucri concertare, hanc, benè ſi memini, odem concordi Symphonia modulabantur.

Gonvenit feſſæ dare certa menti
Otia, infirmas recreando vires,
Fortior ſeſe, meliórque juſſæ
  Reddat ut arti.
Quæ ſolent herbæ tenui virere
Rore, ſternuntur validum per imbrem;
Et vigor mentis nimio fatiſcit
  Sæpius æſtu.

Canebant ſiquidem præſentia gaudia, eò chariora, quò rara magìs, commune enim, & quotidianum optimorum Rhetorum eſt, in muſæo ſedere ad menſulam, & quà lectitando, quà ſcribendo chartis impalleſcere; quos inter jucundos, erudítóſque ſermones, ùt varia tulit occaſio, varius item genius amicorum, ignari, quantum confeciſſent itineris, ad præfixum viæ terminum pervenerunt: quo velut admoniti Florivallii defatigata crura, séque ſupinos molli in ceſpite ſternunt, ſociorum exem-

pla

pſa ſecutus Leottus eſt, unáque Angelo-Montium, & Sengemenium amico lapſu præcipitat: infelicior erat Danalus (ſi tamen ſiniſtra, quæ fructum peperit optimum, ſors dici poſſit) gladio enim pedibus interjecto non tam ſedebat, quàm ruebat, quo caſu commota veſte Libellus excidit, quem Parnaſſus Viennenſis eorum nuper honoribus inſcripſit, quos Philoſophia ob relatam à Logica victoriam glorioſos triumphatores primâ laureâ coronavit. Ut vidit hunc Sengemenius, quid, amabo, amici, inquit, Sedi pacis Martis Auſtriaci anno Superiore noſtris à Muſis elaboratæ ſociabimus, idem enim nos urget officium, ut, quorum laureis lauros noſtras inſeruimus, eorum ultimo honori applaudamus; Eugeniadem ſubjungit Leottus, utpotè à cunis, & mutuato à Parente ſanguine Sereniſſimo huic Principi devotiſſimus, an neſcitis? fidem exſolvendam, quâ Muſam noſtram primo labore adhuc teneram conſolabamur.

Forſan tempus erit, magè dum firmaberis, ære
 Eugenidem dignis intonuiſſe metris.

Dixit, & ſpiritu correptus Entheo, velut operis facturus exordium ſequentes verſiculos recitavit:

Eugenium mea muſa canet, decuſsáque lunæ
Cornua, quæ Byzantino crevêre furore,

Et latè Hungaricas cladem minitàta per oras ;
Vel quæ juſſa fuêre armis Taurunia nuper
Auſtriaco ſervire Jovi, Dominúmque vereri
Mœnia. Phæbe Pater mentem aſpirare canenti
Non renue, ut talem meritis deſcribere metris,
Et digna celebrare queam ſuper æthera laude :
Qualis erat, tum, cùm per aperta pericla ruentem
Obſtupuit Mavors, laurósque innexuit enſi.

Sic cecinit, faciliorique Calliope cecinisset ulteriùs, ſi non digitum ori Angelo-Montius impoſuiſſet : Cave ſis peramate, ait, ne levi carmine res immortali gloriâ geſtas potiùs obſcures, quàm illuſtres. Materia hæc Principes Poëtarum fatiget, nec lauros canere aliis, niſi Marone majores, aut ſuppares ſint, facilè licebit : adde etiam anni unius ſolùm effluxiſſe ſpatium, quo poëma ſimile ad nos Viennam erat delatum, non adeò chara, quæ minùs rara : Tum Sengemenius : non in eo omnis cardo rei vertitur, ſed ea vivimus tempora, quibus vel de Europa ſcribere res eſt periculis pleniſſima, nè inſcius, innocuúſque Sacrilegii calamus damnetur. Ergo Aſiam, Africam, & Americam, ſenior Florivallius reponit, cum Neo - Doctoribus peragremus, dabunt hi magnitudinem orbis totius, Imperia, Regna, Provincias, & quidquid Geographorum eſt, accuratè enumerabunt, nos Oratores barbaros quæramus, ſed aut no-

nobis ſimiles, aut ætate inferiores, qui annis teneris pro fide, pro virtute, fuſo etiam glorioſè ſanguine Heroës parvuli perorârunt. Placuit hoc inſtitutum Fratri, & in eandem ſecum ſententiam Leottum, Danalum, & Sengemenium perduxerant. Angelo - Montius deeſſe quidquam monuit. Quid? ſi aliquid de harum regionum ritibus præmitteremus, ſubinde inſpergeremus: mira enim legimus, & audivimus; hæc ille: ad quæ Danalus: Benè, ſed à qua Orbis parte incipiendum? numquid à maxima, Aſiam intelligo, & ab ea, quæ Orientem versùs Europæ noſtræ contermina, Euxino ponto, Caſpio, ſeu Hyrcano, Mediterraneo, Rubro, ſeu Erythræo, Arabico, Indico, Pacifico, Tartarico, ſeu Scythico maribus cingitur, & in Turciam Aſiaticam, Imperium Perſicum, Indiam Orientalem, Tartariam Aſiaticam, Imperium Sinarum, Inſulas Aſiaticas quàm commodiſſimè dividi poteſt. Euphratem, Obium, Indum, & Gangem fluvios complectitur.

Hem! compendium Aſiæ (non ſinè amico riſu ſermonem interrupit Leottus) ſed bene, quod breve, non enim id noſtri inſtituti eſt, nè falcem alterius in meſſem mittamus: Parce, nam attentum turbavit animum Gangetis nomen, &, quod nuper

 in

in veteri quodam de India volumine legeram, an factum, an commentum neſcio, in memoriam reduxit: Fluvium hunc (qui Athanaſii Kircheri ſententiâ velut Indus, Ravi, & Athec è monte Thebeth maximo illo aquarum Parente, quia nivibus toto anni tempore ſepulto, ſcaturire videtur) hunc, inquam, de cœlo labi ortûs ignari credunt incolæ, à facto, ùt illi referunt, Regis Bengalæ permoti, qui, ut certior de ortu redderetur, natandi peritos urinatores conſtituit, quibus cibo omni, præterquàm piſcibus, interdixit, ut pabulo aſſuefiant, quo inter aquas longiori poſſent tempore nutriri: jubet dein adverſo flumine natatum proſequi, obſequuntur hi, multóſque dies, & noctes temerario labori fruſtrà inſudant, donec tandem ad aquarum montes deventum, qui natantibus viam omnem negârunt, quare littora infecto opere repetunt, séque, Principémque ſuum, ùt anteà, ignaros relinquunt: Sacer ea de cauſa Indis eſt Ganges, cui mortuorum oſſa immergunt, credentes, id vel maximè profuturum manibus, ita quidem, ut anno integro immerſa multorum millium annorum beatitatem pariant.

Cui Sengemenius: multa hìc ſuperſtitionis commenta, & aniles fabulas contineri cre-

crede Leotte, nos, ut propiùs ad propoſitum noſtrum accedamus, Indiam Orientalem luſtremus, quæ olim in ſeptem ſupra quadraginta regna diviſa, nunc compendii gratiâ in novem, aut decem dividitur, quorum, nî memoriâ labar, hæc fere nomina: Cambaja à pretioſiſſimo marmore celebrata, quo è lapide, ùt viſurus olim es, dum ſepoſitis litterarum ſtudiis alias in terras nobile iter inſtitues, Magni Ducis Florentiæ totum ſacellum eſt exornatum. Decan, Malabar, Orixa, Bengala fœcundiſſima frugum Parens, quæ incredibilem Oryzæ copiam annis ſingulis regionibus ceteris ſubmittit, Siam, Cambadia, Mogor, & Narſinga, cujus Metropolis ob pavonum multitudinem Barbarum nomen Meliapour ſortita eſt, alias Cambaja dicta, nunc Sancti Thomæ civitas, qui hìc loci Apoſtolicos labores ſtrenuè proſecutus, fuſo tandem pro Chriſti fide ſanguine terminavit.

Applauſit felici memoriæ Angelo-Montius, ſed Inſulæ Zeylon mentionem fieri optabat, an ea, inquit, apud te, quæ jure optimo Principem ſibi locum vendicat, nec nominis ſui laudem hodie merebitur? cùm tamen tantâ abundet frugum, divitiarúmque copiâ, ut communi proverbio montes ejus Cryſtalli, Sylvæ Cinnamomum, fluvii gem-

mæ dicantur, omnia, ſeu ſitûs amænitatem, ſeu agrorum ubertatem ſpectes, terreſtri Paradyſo ſimiles; quare Arabes hanc Ternaſſári, id eſt locum voluptatis appellare ſoliti, credúntque incolæ in Adami monte, qui Inſulæ medium occupat, ſubjectásque terras altiſſimus deſpicit, primi Parentis noſtri veſtigia eſſe impreſſa, haud dubio, ùt arbitruntur, indicio, hìc eum fuiſſe locum, quem primo hominis peccato perditum miſeri mortales deploramus. Bene habes, veſtigia ſunt, ſubjungit junior Florivallius (id enim quotannis hunc in collem educta ſupplicatio abundè teſtatur) ſed ſancti cujusdam ea eſſe contendit Petrus Maffeus, qui tot æternùm pereuntium amore permotus relictâ patriâ has in terras delatus eſt, ut diſpulſis errorum tenebris lumen fidei accenderet. Aſt cujus? neſcio ſanè, id tamen non omni fide indignum cenſeo, quod Dorotheus Tyriæ Epiſcopus tempore Conſtantini doctrinâ, & ſanctitate clariſſimus cum pluribus aliis Indicarum rerum ſcriptoribus aſſerit, Eunuchi Reginæ Candacis à Philippo baptizati, qui hìc loci Chriſtianæ veritatis prima ſemina jecit. Nunquid hæc mira Danale? tum ille: mira, ſed miror magìs veſtigiorum portentoſam deſcriptionem, quam nuper ab Holpio audivi: quæ ſi vera eſſet, Ada-

Adamum prope Rhodio ſimulacro ſimilem, víxque montem integrum ſcabello pedum ejus ſuffeciſſe arbitrarer. Siquidem ſunt, qui plantæ longitudinem ulnâ & mediâ, latitudinem ulnâ, & quadrante, profunditatem mediâ ulnâ definiunt, ſed, an mirum videri poteſt? ſi pes cum fama creſcat, quæ vires acquirit eundo, & tam remota è regione, alteróque orbe ad nos erat profecta. Tu verò da, ſi ſylvæ Zeylon Inſulæ Cinnamomum dicuntur, qualis ſit arbor, quæ tam nobile lignum Europæ noſtræ ſubmittit: Tum ſenior Florivallius: faxo imperata.

Arbor hæc ab Indis Corm-dogas dicta niveo primum flore candicat, ex quo fructus minori olivæ ſimilis ſuo tempore enaſcitur, & ipſe utiliſſimus, nam oleo expreſſo, quod Muſcatico non abſimile eſt, varia morborum genera facili medicinâ curantur: duplici undequaque cortice veſtitur, exterior valet, qui incurvo cultro rotundè primùm, dein oblongè ſciſſus ſolis caloribus expoſitus, toſtúsque in eandem, in qua videmus, formam ſponte coit. Prima veſte perdita æternùm caret, nec utilis, niſi in prolibus, nam è deciduis fructibus novæ identidem creſcunt plantulæ, quæ conſtituto tempore Parentum locô tributum debitum exſolvunt; hic creſcendi modus ligni optimi,

cui

cui adde Orizam communem quidem naſcendi ſortem, ùt regionibus in aliis fieri amat, obſervare, eam tamen ter ſingulis annis optato cum fœnore enaſci.

Gratulor tibi Juvenum lectiſſime, cepto ſermoni interpoſuit Danalus, quod tu tam bonus Indiæ olitor, melior arborator ſis, nec tamen adeò rudem, rerſimque Aſiæ ignarum me exiſtima, ut non Zeylon Inſulæ Cinnamomo Caryophillà aromatica Moluccarum comparem, aut anteponam: Horum enim, etſi non plantata fuerint, una ex arbore mille, ducentæ, & quinquaginta libræ Hollandicæ facilè leguntur. Intelligere fortè matrem tam fœcundam deſideras: En! arbor hæc cortice oleæ, magnitudine lauro, aut pyro æqualis eſt, ſæpe curvo, ſæpe recto ſe ſtipite tollit, majoribus, minoribúsque ramis plena, tenuiſſimis ſurculis terminatur, in quibus coles plurimi, (ita quidem, ut Caryophilla, vel unum, viginti onerent) protruduntur: apex florem candidum, dein viridem, poſtea rubrum, tandem futuro fructui (ſeu colorem, ſeu duritiem petas) ſimillimum efformat, & quidem odoris amæni non minùs, quàm vehementis: nec mirare; ſolum enim nigrum, ſiccum, & calidiſſimum hæc planta requirit, Vulcani hìc crederes latere ſpecus, cùm non modò

modò cœlo decidui frequenter imbres, ſed pleno etiam impetu irruentes è montibus aquarum cumuli, priùs abſorbeantur, quàm ad maternum maris ſinum deveniant: Neque deſunt hìc Æthnæ, & Veſuvii Indiæ, quorum pedes amœnè virentes exornant arbores, vertice tamen, quo nubes arietant, ignem, ſulphúrque ejiciunt. Atque hæc ſint, ne ante præfixæ materiæ terminum dies nos deficiat, de Indiæ frugibus, terráque ſatìs.

Narra tamen, ſi nôris Angelo-Monti barbaræ genti quæ veſtitûs ratio: minimè enim eam à noſtra diſparem eſſe in dubium vocare poſſum. Non erat hæc, ait ille, Angelico meo nomini conformis, antequàm lux fidei turpitudinem oſtendiſſet, ſiquidem plurimi non alia veſte, quàm à natura matris utero egreſſis conceſſa utebantur, nunc corpori ad genua ſe protendentes inſternunt togulas, Goſſypio, aut è palmæ foliis contextas; immenſæ magnitudinis, & è quinquaginta etiam ulnis convoluto, tectóque circulo (turcæ *Turbant* dicunt) caput obruunt. Excreſcentes ungues aquilarûm non abſimiles, & varias in figuras ſciſſos mirum barbari corporis ornamentum, neque decus minus eſſe in aurium longitudine cenſent, quare ducentos crebrò aureos annulos gemmis pretioſiſſimis graves iis injiciunt, ut

ut humeros usque, vel ultra extendantur.
Ceterùm coloris ſunt ſubnigri, albi etiam
ſæpe, parúmque Europæis diſſimiles: Unica
gens ab Hollandis Kakerlac dicta, & prope
Malacam inventa ſtuporem aliquem movere
poteſt: Hæc corpore, vultúque coloris ca-
ſtanei, pedibus intortis velox iter conficit
claram in lucem apertis oculis cæcutit, no
cte verò, aut tenebroſis in cavernis pecu
niam numerare, nere, ſuere, texere, merce
vendere, quàm dexterrime novit: O lucis
inimicam gentem, talparúmque genus! ex
clamavit Leottus, neque tamen adeò rudis
eſt omnis Indiæ populus, ut non ſæpe, velu
ſolis radii inter ſpiſſa nubila, Barbaros inte
mores ſcintilla rationis eluceſcat. Res illi
domeſtica eſt tenuis, nec mollibus, ſed du
ris primis ab annis aſſueti. In Formoſa inſul
lectum cervina pellis ramis inſtrata dat, uxo
agros ſuos, maritus itidem ſuos non pe
mixto lucro colit: proles maternæ curæ
lateri, laboríque ad tertium usque ultra v
geſimum annum adhærent, lingua vocabu
lis tam abundans, ut nulla non anni die
ſuo, ſibíque ſoli proprio nomine appelletu
Medicorum ars rara; & quis crederet? rariùs
quàm in Europa errori expoſita, cùm tame
ex ſolo corporis pondere, de omni morbo
rum genere certis indiciis judicare poſſin
und

unde mos apud Indos increbuit, quot annis die Regi natalitio illum ponderare. Feris Sylveſtribus, carne bubula, porcináque omnes, aliqui etiam ſerpentibus, ceteríſque inſectis veſcuntur, ſæpiſſime tamen ſola dapes inſtruit, aut elixa, aut frixa Oryza.

Bene mones, in verba irruit Danalus, menſis optimè ſociantur ſalutationum ritus, quos nuper in Diario Wilhelmi Schouten legeram. Convenêre Moluccis in inſulis Reges duo, conſulentes utpote authoritati ſuæ, ſplendori, & dignitati Regiæ: Hoſpes tercentum viris ſtipatus, qui omnes viridi herba, ex qua potus confici, ob vini penuriam, his in regnis ſolet, circa lumbos cincti erant, alter, ùt primùm de adventu hoſpitis inaudierat, non minori nobilium numeró comitatus ſeſe obvius tulit: Primus dum excipientis ora vidit, pronus in terram decidit, inconditóque clamore ſalutem exſolvit, iisdem formulis uſus propior factus erat domeſticus: elevantes ſe dein unà ſimul Regale ſolium petierunt, & ſolium quidem à famulis, plùs, quàm nongentis munitum. Vix ſedes cuique ſua occupata eſt, eosdem ritus capite primùm in ſolum reclini, corpore dein ſtrato, manibus invicem implicatis repetebant, quam honoris teſtificationem illuſtris, & magnifica plebejorum

jorum hominum pompa prædictis herbis aulam ſternentium ſecuta eſt: Lacerârunt hi, & moluerunt dentibus congeſtas opes, & patinæ ligneæ injectas aquâ affusâ, tudiculâ contuſas, hinc & indè verſas Regibus ſuis pro nectare obtulerunt: biberunt Principes, meliùs dixiſſem, in potum hunc involârunt, majori longè cum aviditate, quàm nos in vinum illud:

Quod ſolis flammata rotis Tocaia felix
Parturit, & liquidum gignit ſub vitibus aurum.

Toſtæ ſubinde radices, ubas- dictæ, Lactucæ forſan locò, allatæ, nam ſedecim recèns occiſi ferculum porcelli gravabant, qui capillis flammâ abſumptis, inteſtinis ejectis, lapidibúsque accenſis ventri impoſitis aſſabantur: hic totus apparatus, hæ Regiæ dapes, nunquid ſplendidè, nunquid opiparè, nunquid lautiſſimè epulabantur? Finiit, atque

Olli ſubridens, commotáque viſcera ſtringens,
Ne lædat merito tumida ilia fortè cachinno.

Florivallius junior: nuptiarum, ait, melior pompa eſt, hâc enim teſte Levino Hulſio proceditur: Agmen ducit Muſicorum pelues, & tympana partim collo, partim longâ perticâ ſuſpenſa pulſantium, neſcio, an ſtrepitus, an grata, vel ipſo ſuo horrore, ſymphonia? ſcilicet tales choreæ, quales

les chorauli : ſexaginta hos, aut plures pro ſponſi, aut ſponſæ dignitate comitantur viri, haſtis impoſitas pavonum pennas, aut equorum caudas, ſinè lege, ſinè arte (nam diei feſtivitas præcepta non patitur) in aëra evibrantes, ponè ſunt pueri, innuptæque puellæ, quarum aliquæ icones, aut exſciſſas è charta figuras, aliæ flores, vel ciſtulas gemmis onuſtas, vel veſtes affabrè elaboratas, flabella aliquæ (Wådelein dicimus) Nicotianæ fumantis arundines, Crateras, & quidquid apparatûs domeſtici eſt, humeris geſtant: pompam claudunt invitati hoſpites, poſtquàm prior medius inter dominarum cœtum ſponſus equo vectus eſt; qui, ùt primùm ſponſæ limina pulſavit, exit hæc, pedibúsque futuri ſui mariti advoluta, eos abluit, & in domum admiſſo fidem conjugalem ſpondet: Eâdem in reditu pompâ aſſumptâ properatur ad epulas, & diei lætiſſimæ dapibus ſopitus animus finem indicit. Optarem ſanè, ſubjungit Leottus, hos propiùs videre ritus, non minùs, ac Romam olim triumphantem; aſt, ſi licet lætis miſcere triſtia, funeris à me cujus Baldæus meminit, apparatum, accipite:

In Zeylon inſula Cæſaris Don Joan primo-genitus Mahaſtane Adaſcyn anno ſæculi decimi ſeptimi duodecimo hac pom-

pa rogo illatus eſt. Præcedebant defuncti Principis Muſici toti nigro linteo obducti, dein terni, & terni inverſis armis milites, poſt hos ad pugnam inſtructi Elephanti, à quadraginta nobilibus ducti, octo equi Perſici, cum totidem equitibus, quos Ordinis aurei ſolis nuncupant; tandem Eunuchi, Ephebi, in pulvinaribus è nigro holoſerico, regale ſceptrum, coronam, mortui arma geſtantes: Cadaver ab octo primariis regni proceribus geſtatum eſt, ponè ſecutus mærens pater medius inter Principes Migonne, & Mewater affines ſuos, dein tota, quæ è regno copioſiſſima convenerat, nobilium turba; plateæ pretioſis undique lapidibus micabant, & intra quadrantis horæ ſpatium, velut triumphales, quibus tranſeundum, arcus nigro panno obducti erigebantur, tumuli in loco alta pyra ex aromatibus, lignísque odoratis congeſta fuit; cui tria vaſa è Cinnamomi oleo, & unum butyro plenum ſuperfuſum, funus impoſitum, & inter gemitus, inconditósque clamores omnia Vulcano conſecrata ſunt.

Ah! quid prodeſt (ſuſpiravit Sengemenius) Regali pompa ad infernum deduci, erat enim hæc gens, ùt reliquæ Indiæ, quæ Dei honores ſimiis, quin & malo dæmoni conferebat: agnovere quidem Deum cœli, terræ-

terræque Authorem, ſed mille de hoc fabulas ſomniabant, ajebant enim orbem hunc ex ovo originem ſumpſiſſe, quod primò parvum, dein minus, tandem guttulæ roris ſimile, nîl, nisì divinitatem, quam Ixorettam vocant, ægrè continebat. Hæc Ixoretta Grylli voce novum dedit incrementum, nam mox grano ſinapis, dein gemmæ, tandem ovo par factum, & in duas ruptum partes, ignem, aëréumque evomuit: en bina elementa! ulteriùs fabellam audi: ſuperior pars ſeptemplici, ùt Ajacis clypeus, cortice veſtita, ſeptem cœlorum materia fuit, inferior totidem terrarum. Hæc mundi noſtri origo: hæc fabula, paria quoque de Deo ſomnia: hujus fortitudinem in mille brachiis, omni-ſcientiam in mille oculis, immenſitatem in mille pedibus conſiſtere, brutorum in morem juxta ſenſuum leges judicantes, arbitrantur. Verùm fuêre hæc olim tempora, tenuítque imperium humani generis hoſtis infenſiſſimus, nunc plurimis è regnis pulſus, Chriſtíque jugum, errore abjecto, melior India aſſumpſit; ſed quid cum noſtris Oratoribus parvulis? fateor, reponit Danalus, diu nimis regna hæc deſcripſimus, & jam.

Summa procul villarum culmina fumant,
Majoréſque cadunt altis de montibus umbræ.

Craſtina die, ſi vivere boni ſuperi conceſſerint, Indiæ Heroës celebrabimus. Tu Angelo-Monti ſermonem hunc noſtrum Cingemihuſo narra, qui cùm nuper ex arte Poëtica primam lauream retulerat, faciet fortaſſe, ut eorum facinora verſibus illuſtrentur, dixit, & quoniam jam contenebraverat, exilière omnes, currúsque, queis domum deveherentur, ritè præmiſſis valedicendi formulis repetiêrunt.

§. II.

Illuſtria Geſta Indorum juvenum exponuntur, & Regni Magni Mogolis divitiæ, & mores Gentis referuntur.

UT primum die poſtera de turri ſignum inſonuit, quo Alumnos ſuos litterarium ad certamen Pallas evocare ſolet, Melitus ab injuſtitiæ monte nobilia deſumens nomina, integer vitæ, ſcelerísque purus Adoleſcens; Ficoyus, & Zilherdacus, qui primam Auroram aut Deo, aut Muſis ſacrare ſemper ſunt ſoliti, ad Athenæi limina convenerunt; receptus enim Viennæ mos eſt eorum Juvenum, quos virtus pari ſolertiæ, & ingenii præcellentiæ ſociata ceteris illuſtriores reddidit, in ipſo ſcholarum veſtibulo moderatores exſpectare, ut eos nobili corona litterarium ad ludum deducant:

quos

quos ùt ſalutavit Cingemihuſus cum individuo ſuo diu, noctúque comite Hacigero ſeriùs nonnihil huc ſe conferens; reddita ſalute, An bene dormitum eſt? amici, Zilherdacus inquit: utinam & vobis! mihi quoque quàm optimè, reponit Hacigerus: tum ille: crederem id, nî præter ſolitum hodie pallidus videreris, nimio tu certè ſtudio, velut vigiliis galli cantũ, mortem antevertes: Auroram nunquid addit Ficoyus, tardioris adventûs ream condemnâſtis? minimè, Cingemihuſus, ſiquidem novimus Muſis interponere otia, nec quo Natura, rarò ſibi conſtans, pallore ſubinde vultum induit, chartis impreſſum eſſe arbitremini: ſit fides penes Authores (ſubriſit Melitus) adeò enim vos libris immerſos novimus, ut Cleantis lampadi ad nocturnum ſtudium oleum defeciſſe, & Thaumantiadem conqueſtam eſſe audierim, velociores vos ad aperienda volumina, quàm ſe ad cœli fores eſſe: ad quæ Hacigerus, gratulor tibi, quòd præclarus Poëta ſis, ſecus enim non impunè tibi fingere liceret, quos inter innocuos riſus tempus aliquod, jam data, jam reddita vice triverunt, laude omnes digniſſimi, ea ſolùm, quæ imitanda ſibi proponerent, in aliis non tam carpebant, quàm amica contentione prædicabant: quæ huc omnia conjicerem, ſi diſtinctè ſingula altiori è ſpe-

ſpecula auſcultanti percipienda fuiſſent: id unum ſcio diuturnum fuiſſe litigium, an dies hic Apollini ſacer, an Suadæ ſit futurus: diverſis undique voluntatibus, diſtractíſque ſententiis, litem compoſuit ſuperveniens Angelo-Montius, qui heſterna voluptate erudita non minùs, quàm jucunda ex ovo enarrata hos quoque ad ſuppetias ferendas invitavit. Quærite, pro innata ſibi comitate, Condiſcipuli lectiſſimi, inquit, quid juventus Indiæ pro fide gloriosè egerit, aut ligato, aut ſoluto, prout libet, ſermone deſcribite, rem facietis gratiſſimam, neque fruſtrà, ſed pro prelo, ſed pro gloria veſtra laborabitis: dictis his animatus Cingemihuſus, parebimus, inquit, & nî adventus Præceptoris urgeret, hoc in loco fundamenta operis jaceremus. Ne verò eorum ſimus è numero, qui procraſtinare omnia, præſenti nunquam, ſed futura ſemper die laborantes deſideria ſeris poſteris tranſcribunt, hodie inchoandum, hodie adhuc elaborandum eſt aliquid, & quoniam vos in ſylva cepiſtis, nos in hortis continuabimus; agite! & dimiſſis à meridie ſcholis inſulam Divi Leopoldi unà petamus, cujus ſub finem ad ſiniſtram partem flexis hortus ſe offeret.

In quo Cæſareæ quondam juſta otia curæ
Quærebant, Zephyrithæis nam ſcena theatris
Undique ridentes altùm pendentibus umbris

Expli-

Explicat, optatóſque horti, nemoríſque favores :
Arboreæ hinc, atque hinc ſeries, quæ fronde ſagittas
Excipiunt, medio quas Sirius ejicit axe,
Exornant aditum, viridíſque ſilentia noctis
Lætùm horrent, Zephyríſque favent ludentibus auræ.
Deín primum tenet alma locum Flora, atque ſuperbo,
Diversóque ſimul ſua pignora veſtit amictu :
Quotquot enim areolæ, tot ſunt nova ſidera, buxo
Circumſepta ſuâ, mentíque, oculíſque voluptam
Dant teneram, plantata omni quia Chloridos arte :
Surgere vernanti mirabere parjete Xyſtos,
Parjete, quem artifici frondator forfice ſcindit,
Ut gerat æquales longiſſima turba figuras,
Creſcat & ad primas viridanti vertice nubes :
Non hìc Dædalei Labyrinthi flexibus angues
Deſunt, non ſylvas aliquis, non prata requiret :
Sed nemus omne, licèt varium, pulchro ordine circū
Mentitur ſtellam, nam quò ſe verterit hoſpes,
Invenit impoſitas frondoſi fornicis umbras.

Finiit, & Ficoyus : Quis te non huc comitaretur amice? dum vel levis loci deſcriptio animum recreat, ſuáſque ad delicias invitat, date dexteram, fidémque ſpondete : aderimus(ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipſo ſentio) quàm certiſſime, nî vigil, & ſolicita nimis Parentum cura, dum domum reduces abjecto pallii pondere lateri gladiolos injiciemus, pedem domo efferre ſit prohibitura. Intereà ad ſcholas proceſſum, in quibus diſtractus erat omnium ad præceptoris vocem animus, nam fides data adeò miras ingenio curas injecit, dum quivis

vis bonum, quivis optimum adferre voluit, ut ſui immemores, nec ſe quid prandiſſe, toti ſpectaculis illuſtriorum juvenum quærendis intenti, nôſſent, Horâ tamen ſtatutâ nemo erat, qui fidem non exſolviſſet: imò, dum in ipſo porticu in Berdolgum, & Gernobum, primò dein ſub Xyſto in Hatum, Nigrellum, & Francum inambulantes offendiſſent, aucto nobilium Rhetorum numero gloriæ quoque ſuæ majores ſtimulos addidêre. Tum Hacigerus repetitâ obiter propoſiti materiâ: Homa (inquit) Amboini inſulæ locus, Atvæ, præcipuo Maurorum armamentario contermina, ùt primam fidei lucem aſpexit, eos numerabat incolas, qui vitæ ſuæ prodigi laterum oppoſitu, corporúmque veritatem recèns agnitam, tutarentur: nam vigil excubabat exercituum Domini pro puſillo grege ſolicitudo, licèt enim vix centum, & quinquaginta numerarent milites, validíſque tentarentur incurſibus, tam feliciter, ſtrenuéque pugnatum eſt, ut victoria ab Homanis ſtaret, jam bis mille, jam auctis copiis quatuor mille Atvanos deſereret: gemina clades crudeliores in tyranno Manavare furoris inflammavit faces; minatur, nî valla urbis dejiciant, à ſe ſacellum, quod à laudato nunquam ſatìs Chriſtianæ Religionis defenſore Emanuele vicino in

mon-

monte vero Deo erectum eſt, ſolo æquandum eſſe: una fuit omnium mens, jurejurando firmata, nunquam ſe permiſſuros, nisì fuſo omnium ſanguine, ut vel minima ſacræ ædi ignominia inferatur. Verùm ultimam hanc triumphi gloriam parvulis, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, deſtinavit Deus: audito enim Parentum conſilio, nemine conſcio, conveniunt filii, ſeſe invicem data fide obſtringunt, extremam crucem defendant, primósque hoſtium repellant inſultus: communi ſententia glorioſum bellum ſtatuitur: arma, quæ ætati convenirent, arripiunt, in arenam deſcendunt: vix viſo hoſte majori corpore, viribúsque robore in eum irruunt, obvios ſternunt, & Manavarem, qui indignum ratus cum pueris certare, in turpem, & ignominioſam fugam disjiciunt, séque, Parentes, crucem, ſacram Deo ædem, urbem præſentiſſimo abſolvunt periculo: nunquam enim auſus eſt tyrannus redire. Tu quæſo Ficoy! pæana accine: ad quæ iſte

Huc Fabii, Curii, Marii, fortésque Metelli
Heroum genus; aut Libyci duo Fulmina belli
Scipiades, ſummis quos olim miſcuit aſtris
Roma triumphatrix; vel quos poſt prælia fumo
Græcia non meritos coluit proſtrata Sabæo;
Huc properate alacres, & ſumpto pulvere vitam
E tumulis revocate novam: quo Numine cœli

 Diſci-

Diſcite, felices veniant in bella triumphi.
Daphne non ſemper digna eſt, quæ vertice caſſis
Stat criſtis tumefacta ſuis: non laurea ſemper
Ferrum dona metet, clypeíque ex ære rigentes,
Adverſi infringent volitantia robora teli;
Altior è cœlo ni virtus imperet armis.
En pueri ſaxa ejiciunt, pugnámque minatur
Stipitibus gens freta ſuis, patet hoſtis arenâ;
Pugnandum eſt, tibi Pompei, tibi maxime Cæſar,
Sume animos, notáſque voca in præcordia vires:
En tibi ferratis ſtat vertice caſſida pennis,
Heroam gravat haſta manum, micat ærea dorſo
Effundens lorica faces; téque undique circum
Stant acies, fulvi inſtratæ ſunt pelle leonis,
Terro résque, ignéſque rotant certamina nunquid
Quæ ſociata ſuis poteris ſperare triumphis?
Magne veni: vidiſſe hoſtem, non vincere fas eſt,
Nam gemina fugies clade indignatus ad umbras:
Sunt pueri imbelles, ſed pro his vigil excubat æther,
Et conjurati veniunt in prælia Divi.

Ad quæ: nota hæc mihi quoque ſunt, & lecta quondam, inquit Zilherdacus, antecedentia enarrâſti, conſequentia mihi relinque: Vix finito gloriosè prælio parvuli victores domum revertebantur, cùm ecce novam crucem erigere, & comitantibus Parentibus Victoriæ ſuæ trophæa ſtatuere ceperunt: incredibili hìc omnes voluptate perfuſi novum ſeſe inter virtutis certamen inſtituunt, dum nobiliſſimus quisque ſalutis noſtræ ſignum ſuis deportandum humeris aſſumeret; nec lis, nisì variato pondere, jám-

jámque huic, jámque illi impoſito terminata fuit: ſequebatur nobilium veſtigia commune vulgus, útque crux conſtituto loco erecta erat, omnes in terram provoluti feſtivas inter acclamationes, & ſecundùm Eccleſiæ ritum perſolutis precibus ſignum Redemptionis humani generis venerabantur; quam pietatem in occaſum vergente ſole denuò repetebant. Illuſtre hìc quoque iterum puerorum factum: non procul hinc ſepulti cujusdam Mahometis Sacrificuli (caſciges dicunt) cadaver tumulatum erat, quare illud effodere, procúlque abjicere laborabant, indignum fore arbitrantes, ſi Chriſti ſimulacro ſcelerati hominis corpus ſociaretur. Præfecti urbis filius, ſolatium, & pupilla Parentum, necdum tamen ſacro fonte luſtratus, primus manum admovit; ſed vix ligone terræ impreſſo in deliquium labitur, faucibus adeò conſtringitur, ut domum reportatus omni pœne momento ſuffocandus crederetur: multóſque dies infelix morbus tenuit, donec deſperata ſalute Maſcarenias è Societate JESU Sacerdos (qui hìc loci fructus Evangelii, quibus DEUS tantum incrementum dedit, plantavit, & ſudore Apoſtolico rigavit) advocatus, ultimum hunc eſſe tenebrarum Principis dominatum Parentes edocuerit; fore, ut, ſi ſacro fonte

ablue-

ablueretur, ſanus absque periculo lecto exiliret; dictum factum, & incolumem, quem brevi tumulo inferendum credebant, ſuaviſſimos inter complexus, & Chriſti laudes Parentes filiolum receperunt: ea de cauſa nullus unquam auſus, ne ſimili malo infeſtaretur, idola proſternere, qui necdum ſacris in undis fidei erat renatus: unde ingens omnes cupido inceſſit, baptizatis verò major erat gloria ſacro à fonte vires ſimiles reportandi.

Hæc ſuper Berdolgus: Puerorum illuſtri fortitudini, ſi fas eſt, puellæ unius conſtantiam ſociabo: Mealis Regis filia primis à cunis Biſnagarenſi Regi deſponſata, ùt crebriùs Chriſtianam juventutem ſupplicantium in morem procedentem curioſa adhuc magìs, quàm devota viderat, & decantantem prima fidei rudimenta audierat, eas animo concepit flammulas, ut, dum cerneret, puerorum, puellarúmque numerum Eccleſiæ adſcriptorum ſexcentos, & ſeptingentos ultra excreſcere, mallet Regali dignitate poſita mancipium fieri, dummodò Chriſto manciparetur: vix primos advertit ſub cinere gliſcentes ignes Maria Toſcana, non minùs à pietate, quàm avito nobilitatis genere clariſſima fœmina, Jacobi Pereriæ conjux, ſermone ſæpiùs de rebus Divinis inſti-

[i]nſtituto ſcintillas inflammare, & in magnum excitare incendium laborabat: Et accendit adeò cereum ad optima animum, ùt, nisì, velut mos barbarorum eſt, perpetuo paternis in ædibus carcere puella fuiſſet incluſa, accurriſſet illicò ſalutari aqua tingenda: Gemebat, ùt in cunis parvulus, dolorem interim ſentiens, ſed vox defuit, qua vulnus manifeſtaretur, ciſtæ incluſa gemmula conſilii inops ſuſpirabat ſolùm, nec, quo repagula rumperet, modum inveniebat: innotuerunt innocentis animæ vota Franciſco Rodericio Societatis JESU Sacerdoti, ſuadet is per delegatos, aperiat rem totam Barreto rerum Indicarum Gubernatori; ſubſidium petat, annulúmque deſiderii ſui indicem ſubmittat: paret ea optimo conſilio, & Barretus velut Regni tractaturus negotia ipſo die Divo Laurentio Martyri ſacro Mealem accedit, ſecúmque fœminarum nobilium coronam deducit, quarum ope gementem turturem caveâ liberaret: ille ad Regem, hæ ad filiam acceſſerunt: ſubolere hìc cepit Chriſtiana fraus Matri Mahometi addictiſſimæ, quare furere, ad conclave greſſum præcipitare, fores perfringere, & furore rabida adeò in natam irruere, ut collo apprehenſam aut ſuffocâſſet, aut è feneſtra egiſſet præcipitem, nî è tigridis ungui-

bus

bus innocuam ovem, quantum quidem vis in rationis ſede dejectam valuit, præſentes vindicâſſent, & clamore inſolito exciti Meales, & Barretus in ſubſidium properâſſent. Mitigato tantiſper furore Barretus deſideria filiæ exponit, & cumulatè probatis annulum conſtantiæ indicem nuper ſibi ſubmiſſum exhibet: ſtat, velut inter æquoris inſultus rupes marmorea; ità inter Parentum furias Virginea hæc petra; arte nulla, non vi, non præmiis, non lacrymis, non minis à propoſito dimoveri poteſt, inſtat, urget precibus, per ſalutem ſuam obſecratur, donec tandem invitis conſenſum extorſerit: quare ad piam ſuprà nominatam matronam deportata, & à prædicto Sacerdote fidei rudimenta edocta die, quo glorioſam Matris noſtræ in Cœlum Aſſumptionem celebramus, ſacro à fonte ſalutem recepit, incredibili hominum confluente copia, quæ inter tubarum, tympanorúmque ſtrepitus, variæque muſicæ reſonantibus Cymbalis, ſeram item in noctem plateis relucentibus vitam novam, eámque meliorem Principi ſuæ gratulabatur. Tu Melite, ſi hæc arrident, cum jam propè lauro dignus ſis Genethliacum recèns Chriſto genitæ adorna. Vix audito carminis nomine vi enthea revocavit ſpiritum Melitus, & licèt multi memoriâ

moriâ jam exciderint, hi tamen reliquos inter verſus erant.

Cœtus Hamadryadum viridis, Caſtæque Napææ,
Gens rivis aſſueta ſuis, quêis garrula lapſu
Volvitur irriguo, vitri inſtar molliter unda:
Huc plenis (nam feſta jubent) effundite palmis
Lilia, & enatos redivivi veris honores:
Et violis chaltæ, roſa ſit ſociata Amarintho,
Oebaliúmque decus pueri, qui vulnere diſci
A Zephyro proſtratus erat, ſed Apollinis arte
Grevit odoratis mutato corpore formis.
Aſt quid ego indignas, vaniſſima Numina, Nymphas
Invoco? res agitur, ſummo quæ grata tonanti,
Angelicis celebranda choris. Huc ergo, ſupremi
Quos tenet aula poli, pueri, turba æthere nata,
Ferte citi, meritos decorent quæ dona triumphos.
Ecce ſalutiferi Baptiſmatis amne renata
Virgo DEI, veteres Mahometis fervida ſordes
Abluit, & ſacris renovat natalibus ævum.
Vos cœli virtute novæ date robora menti,
Et validum firmate animum, ne flectere poſſint
Blanditiæ, aut gemitus viduæ, lacrymæque Parentis
Inceptam violare fidem: túque inclyte primis
A cunis hærens lateri vigil, excute manes
Tartareos, teneræ funeſta perîcla puellæ,
Ne ſtruat inſidias, cùm bella reſumpſerit, orcus.

Tum Hatus: magnis his primæ fidei heroibus Chriſtianam Religionem edocentem belluam ſociare mihi liceat: mirum eſt, veriſſimum tamen, quod allaturus ſum: Echebar illius Indiæ Orientalis Rex, quæ nunc imperium magni eſt Mogolis, jam pro Chri-

Chriſto firmiſſimus, jam dubius ſtetit: quare, ut veritatem certiùs agnoſceret, &, ſi non aliter, prodigio ſaltem è cœlo extorqueret: idem, quod olim Pſammeticus Ægypti Rex tentabat: triginta parvulos ab ubere matris nuper depulſos ſeverè cuſtodiri jubet, & nullo unquam verbo audito nutriri, ſperans, eo hos olim ſermone uſuros, quo verè fideles utuntur: verùm ubi loquendi tempus advenit, lallantes, & nil, niſì inconditum quid ejulantes audiit: alio proinde ſtratagemate errorem ſuum aggreditur: inaudiit Bengalenſi civi Cercopithecum, vulgò Catum marinum, eſſe, adeò mira arte expertum, ut occulta quæque manifeſtare quàm dexterrimè valeat: hunc adferri imperat, & antequàm adveniſſet, Regalem annulum in gremio cujusdam infantis, qui cum undecim aliis in aulam delatus eſt, abſcondit; è Cato dein præſente, ubi nam annulus lateat? quærit; hic ſinè mora ad infantem properat, arreptúmque annulum Regi deportat; placuit primum ferinæ ſcientiæ experimentum: conclavi proximo Cercopithecum immittit, clausíſque foribus ſchedas quatuor, in quibus ſibi notæ Religiones inſcriptæ erant, Moyſis ſcilicet Judæorum, Mahometis Turcarum, Cami Japonum, & Chriſti mundi

Re-

Redemptoris ſacco imponit, vocatóque denuo animali fidei optimæ Authorem ad ſe deferat, imperat: tum catus primùm Mahómetis fatale nomen extrahit; naribus admotum, velut experiri vellet, rejicit, nasóque ob rem fœdè olentem contorto, torvo, iratóque ore pedibus conculcat: ſimili dein honore Cami nomen afficit; Moyſis verò ſinè ulteriori deſpectu in terram demittit: vix autem Chriſti inſignia intuitus blandè oſculatus mira voluptate ad Regem defert: fraudem ſuſpicatus (diutiùs enim cæcutire libuit) Echebar, alio idiomate, & quidem tantùm in aula noto hos quatuor legum conditores ſcribit: aſt catus deſpectis ceteris lege denuò Chriſti triumphabat. Hìc nobilium quispiam nomen Servatoris noſtri ſuffuratus; quære, inquit, Cercopithece! ut tertiùm fidem firmes, quænam Religionum optima? animal, ùt tribus aliis dilaceratis triumphi ſui materiam deeſſe videt, ringitur, obvios aulicos perquirit, donec tandem ad gloriæ ſuæ furem devenerit, à quo partim minando, partim ſupplex, & rogantis inſtar ſchedam extorquet, extortam Regi exhibet, & immenſam præſentium copiam admiratores habuit, utinam etiam imitatores! illuſtre ſanè prodigium Hæc narras (ſubjungit Nigrellus) O ſi homines

magiſtrâ ferâ ſaniora fuiſſent edocti ! ſed quoniam mores gentium immiſcere ſtatuimus, narra, ſi noſti, quinam hìc loci incolarum mores ? quæ fides ? qui ritus ? Hati vices ſupplevit Francus : Mogor, inquit, ſeu Mogol maxima Orientis Indiæ, quin, & Aſiæ pars, metropolim, & regalem ſedem Agram habet, ingentibus portis quatuor, versùs totidem orbis partes clauſam, intra quarum ambitum, præter innumeras minores, ſeptuaginta magnæ, templis noſtris parùm abſimiles, Mahometanis ritibus (patriâ linguâ Meſtzidæ dictæ) deſtinatæ ædes ſunt, quas ut mundi adeant, balneis (quorum numerus ſexcenteſimum ſuperat) quibus ſe lavent, undique cinguntur. Arx Regia ambitu maxima, ædificii pompâ celeberrima, xyſtis muro implantatis circumdatur : turris ſolido, eóque puriſſimo veſtitur auro : ærarium octo conclavibus in fornicem coëuntibus conſtat, quorum unum ſolis gemmis, reliqua auro, & argento ſunt refertiſſima : veſtibulum ſedis Regiæ argenteis columnis fulcitur, à quo, ſi ultrà pedem tuleris, thronum usque auro, & unionibus recreabuntur oculi : Principis hic titulus : Potentiſſimus terræ Dominus, orbis Imperator, Magnus Monarcha, ſumma Majeſtas, Splendidiſſimus Princeps inter magnos &c. &c. Ad

quæ

quæ Nigrellus: hic luxus Imperatoris, non par incolarum, vilis enim omnibus, nisì modico nobilitatis habito diſcrimine, amictus eſt è panno craſſioris lanæ contextus: interior toga circa lumbos ſtricta ad genua, exterior ad plantas defluit, ita quidem, ut vix vir, & fœmina ſeſe inter diſcrepent: ceterà recti ſunt corporis, fuſci oris, nigrorum, & incomptorum crinium, è quibus raſis coma unica remanet, qua, ùt credunt, à Mahomete olim cœlo importabuntur: fateor (interrupit ceptum ſermonem Gernobus) exiguam hanc eſſe veſtium rationem: credo ea de cauſa, quia frequentes in paſcuis ſunt, cùm minoribus, majoribúsque animalibus montes omnes, valles, ſylvæ, & prata impleantur, nec minorem ubique equorum copiam numerent. Feras inter primum ſibi decus vendicant ſimiæ, & Cercopitheci venaticis noſtris canibus magnitudine ſuppares, quos à defunctorum animis incoli arbitrantur; ut proinde res eſſet ſceleris maximi, vel iniquos hos aggreſſores lædere, quin potiùs feris xenodochia erigunt, in quibus ab illato curantur vulnere, & ſanitati, ſylvíſque reſtituuntur: mirum præbent ſpectaculum ſerpentes bicipites, qui una parte caput erigunt, altera trahunt, ea tamen lege, ut alternis

annis capitis dominium varietur. Tygres, Pantheræ, Elephanti tam copioſi, ut Rex ſæpius aliquot millia horum turrigerorum militum belli tempore in pugnam educat. Hæc brevis Regionis imago eſt, jam Hacigere Religionem nobis enarra: tum iſte: Præter ſectam omnibus Mahometanis communem Idola colunt, non quidem, quaſi Divinitatem iis ineſſe crederent, ſed ut monſtra adorando verum DEUM concilient: aſſerunt etiam cum Pythagora mutare ſedem poſt mortem animas, móxque ubi corpus humanum deſeruerint, in feras, aves, & piſces migrare: quare pulici, vel vermiculo noxius homicida cenſetur: quin, tanta eſt multorum ſuperſtitio, ut lumen noctu accendere formident, ne prætervolantes muſcæ, cúmque his nuper defuncti filioli manes crementur: atque ideò ſtatutis diebus, ne animis feras trucitando noceant, multum pecuniæ in piſcatores, & venatores effundunt, exiſtimantes ſe maximum, Cœlóque dignum miſericordiæ opus præſtituros. Rudium hæc, plebíſque vilioris eſt Religio, ſubjungit Cingemihuſus, ſaniora meditantur Aulici, & nî carnis impedirent illecebræ, Chriſti jugum humeris dudum impoſuiſſent: teſtabatur id olim prædicti Regis Echebaris filius, qui tanto in Chriſtum amo-

amore exarſit, ut auream pectori crucem, in qua Redemptoris noſtri effigies ex adamante ſciſſa erat, ſuſpenderet, atque eâ pompâ coram tota urbe gloriaretur: interrogabat aliquando circumfuſos Aulicos, quodnam Numen rebus in triſtibus, aut in vitæ diſcrimine invocarent? hi Camum, Mahometem alii repoſuerunt: meus ſanè, ajebat optimus Princeps, Dominus JESUS ſemper protector erit, qui auxiliariam manum porrigere afflicto, & jacenti fortiſſimam poteſt. Non ſinè gaudio intellexerat, famulorum quemquam Chriſtianorum labaro acceſſiſſe, quare ad ſe vocato: cujusnam es fidei? inquit, qui cùm ſe Saracenum diceret, gratiam ſui Domini mendacio demeriturus, tanto in eum furore accendebatur, ut fuſtibus bene mulctatum protinus aulâ ejiceret, parúmque abeſſet, quin mendacem linguam ſacrilegis faucibus evelli imperaret. Glorioſus ſanè Chriſti defenſor, exclamavit Nigrellus; Patrem ſecutus juvenis, qui Gymnaſium juventuti erexerat, in quo unà cum Luſitana lingua à Societatis JESU Patribus fidei noſtræ rudimenta edoceretur: Sed nunquid & ipſe ſacro fonte ablutus? Ad quæ altùm ingeminans Cingemihuſus.

Infandum dilecte jubes renovare dolorem,
Regales obitus, & lamentabile fatum,
Utque, ſibi forſan miſeræ, mala ſpicula mortis
Echebar infelix, neglecti Numinis irâ,
Excipiens, ſpem inter medios, dubiúmque reliquit:
Heu quis vel Scythici natus ſub rupibus Æmi,
Hyrcanáque tygri nutritus, talia fando
Temperet à lacrymis? Mahometis fabula pridem,
Atque error deſpectus erat; ſimul agnita Christi
Relligio, ſed non voluit Baptismatis undâ
Abluere impreſſas primo de crimine ſordes,
Quàm fuit æterno juſſus dare lumina ſomno.
Ergò ubi ſupremus proſtravit Regia morbus
Corpora, jam Mahometiadum de gente ſacerdos
Plurimus irruerat, ſed ſurdâ ſæpiùs aure,
Quin ſemper, rejectus erat: dum nomina JESU
Fertur, qua poſſet, cum Relligione locutus;
Hæc ſpes una ſuper; timor eſt, ne ſera dolentis
Hæc nimiùm fuerit pietas, ne gratia cœli,
Et toties dilata fides, ſtudiúmque ſalutis
Promerito armârint Divinam fulmine dextram.
Non aditus, non ulla fuit, quæ porta valeret
Divini verbi myſtas immittere Regi,
Ut neglecta lavet moriturum lympha ſalutis.
Sæpè quidem tentata via eſt, ſpes irrita ſemper
A circumfuſa Mahometis luſa cohorte.

Sic fatus, verbis lacrymarum miſcuit imbres
Singultu medios impediente ſonos

Cingemihuſus, & hodiernæ diei lætitiæ, ùt denſa nubila ſereniorem Phœbum veſperi ſequuntur, triſtem finem impoſuit; &, quoniam famuli aderant, qui de reditu ad-

RPJCB


Ein Iapon

admonerent, concitato nonnihil pede in diverſa abeuntes Parentum domus repetebant.

§. III.

Japonum ritus recenſentur.

Cùm redirent, varios hinc, & indè obvios habuêre condiſcipulorum manipulos, quos ſerenior veſper urbe evocavit, multis non tam data, quàm monſtrata, levi pilei motu, ſalute dimiſſis, multis ſe quoque comites junxerunt, ceteros inter ſub porta, quæ à cubili nomen habet, ſe Cameus, & Zirfus Cingemihuſo offerunt, quorum ille ocyus in amplexum ruens, prehenſáque manu, captivi eſtis lectiſſimi amici, inquit, uno, alteróve paſſu à domo noſtra diſtamus, cœnabitis mecum, etſi non opiparè, gallum tamen de Phaſide, aut perdicem aliquam hordeario cum jure ſorte bona inveniemus; dabitis id mihi, dabitis id Hacigero veſtro ſolatii, ſcitis enim, quanta in vos voluntate ſimus; grates pro comitate repoſuit Zirfus, tempus inſimulans, quo redeundum, ne abſentia Parentes dubios redderet, aut diuturnior mora ſtomachum moveret: eadem temporis excuſatione uſus eſt Cameus: tum Cingemihuſus:

 faci-

facilis eſt medicina mali: famulum advocat, ad utriusque domum properet, veniámque pro mora amicis impetret; victi repetita toties humanitate, ne æquò duriores amicitiæ debilitent vincula, invitationi reſponderunt. Ut ad cubilia ventum, galeris, gladiísque abreptis noſtri jam juris eſtis ſuaviter pro more renidens Hacigerus ait: tum quærit; ubinam hodie poſt calidiſſimum diem veſpertinum frigus cepiſtis? non frigus, caleo enim etiamnum, ſed umbras quæſivimus, Cameus reponit, & duce Zirſo, nam peregrinus ſum, hortum inambulabamus.

Qui Jovis Auſtriaci tempe vernalia, cedit
In quibus imperiis otia digna ſuis.

Hem! extemporalis factus eſt meus Rhetor! ſubriſit Cingemihuſus, ergo vos novus, nos vetus Cæſareæ voluptatis locus habuit; verùm antequàm paretur cœna, placétne trochi flexibus, aut luſoriis chartis tempus fallere? ad quæ comiter Zirſus, tui ſumus, jube, quod vis, parebimus, omnéque ad Imperium cerâ habebis molliores: quid luſus? Hacigerus ſubjungit:

Sæpe etenim dubiæ ſi ſe ſociaverit arti
Pamphilus, ad reliquas doctus ſe jungere formas,
Fœdus amicitiæ, quod nunquam ſæcula poſſent,
Unâ conjunctos inter diſrumpitur horâ.

De

De iis hoc dic, correxit ſermonem Cingemihuſus, quibus luſus pro lucro eſt, expoſitóſque dolent viduato fœnore nummos; alia ſanè noſtrûm eſt ratio, qui recreare animum, non marſupia petimus; verùm novi, quis tu luſûs amator ſis: Scilicet tam charus is tibi eſt, quàm maturis frugibus imber; ſed ut tuæ pareamus voluntati, ſedeamus unà, & amico ſermone utamur: Dixit, & ſedibus in circum diſpoſitis capere ſingulos locum rogat: quibus ſedentibus eos, quos de India diſcurſus miſcebant, hoſpitibus enarrare cepit: placuêre his omnia; Zirfus, majorem tamen in Japonia campum juvenilis conſtantiæ fuiſſe olim aſſerit; quid Japonia? quærit Hacigerus, vix mihi de nomine nota; tum ille, nîl miror, hæc enim regio, etſi ad occaſum Sinarum attingat imperium, ad meridiem verò tantùm cetero ab orbe immenſis prope maritibus ſeparatur, ut meritò terrarum ultima cenſeri poſſit. Ea utitur aëris temperie, quâ Sicilia. Frigus tamen ceteris anni temporibus, ob nives, ſæpe etiam quadraginta continuis diebus cœlo deciduas, patitur intenſiſſimum: horret Aquilonibus, qui adeò, & quidem non rarò ultra quatuor ſupra viginti horas ſæviunt, ut obvia quæque ſolo æquent. Quare partim ob horum inſultus,

 par-

partim etiam ob frequentiſſimos terræ motus ædes omnes è ligno, & quidem unius ſolùm contignationis ſtatuunt, pulcherrimo nihilominus ordine, & ad Italæ artis modum diſpoſito: ut & commodè inhabitare, & ab uno atrio in aliud abſque ullo ſcalarum adminiculo migrare poſſint; tabulata, & latera domûs è ligno cedrino, cujus maxima in Japonia copia eſt, affabrè fabricantur, illinuntur gummi, tantóque ſplendore micant, ut vix mirum ſit, quòd Paulo Veneto omnia ex auro ſtructa eſſe ſint viſa. Res certè amæna, ſubjungit Cingemihuſus, vis, illuc iter inſtituemus, nobíſque quatuor ſtatuemus tabernacula, tibi unum, mihi unum, Hacigero tertium, quartum Cameo. Ad quæ Cameus, ſed alia, longè, quàm nunc, ratione vivendum eſſet, quod enim Europæo placet, Japoni diſplicet, quod illi abſurdum, huic gratum: albus color abominandum quid, & luctum, niger gaudia, dignámque homine pulchritudinem notat; frigidâ nos, illi ſumma æſtate calidâ utuntur; dentibus candorem fricando inducimus, illi nigrore pingunt; equos è parte dextera, nos è ſiniſtra conſcendimus; ſalutem detecto capite impertimus, ſed Japones ſolvunt calceos; aſſurgimus hoſpiti, illi ſedibus affixi manent: quod nobis gemmæ,

mæ, hoc illis ferrum, & teſta eſt: infirmi ſalſis, & duris cibis, nos mollibus, & gratis veſcimur; medicinâ amæniſſimâ morbos depellunt, nos guſtui valde ingrata ſumimus, verbo: rebus in omnibus vita Japonum noſtræ adverſatur. Medicinam, ſubriſit Hacigerus, cum Japonibus ſumere mallem, cetera diſſiperent: conſultiùs eſt, ea nos in ſede manere, quâ bene ſedemus, interim date veniam hoſpites: tantiſper ad culinam divertam, cœnæ enim tempus prope eſſe hodie peracta deambulatio monet: jubebo inſuper refrigerari vinum, ne Japonum potum domi noſtræ ſumatis. Parce moleſtiæ, optime Hacigere, Zirfus iter impediens ajebat, aliquid adhuc, ſi lubet, de harum gentium ritibus audi: Veſtis horum ferme omnis è ſerico, floribus intexta, circa lumbos ſtricta ad terram defluit, ſemper varii, nunquam unius, præterquàm apud ſenes, coloris: Eo in artes optimas feruntur animo, ut vix aliquem invenias, qui non potiorem vitæ ſuæ partem literis conſecrâſſet: ſcribendi ratio non à ſiniſtra in dexteram, ùt noſtra, nec à dextera in ſiniſtram, ùt Arabum, & Hebræorum, ſed à vertice paginæ ad pedem tendit, naturam, ùt quæſiti ſæpe repoſuerunt, ſequentes, quæ hominem à capite ad plantas perficit. Authorem hujus

jus uſûs Combadaſcum quemdam Bonziorum doctiſſimum fuiſſe aſſerunt, qui Dei inſtar habitus vivus voluit muro cingi, hac vaticinatione diſcipulis ſuis valedicens: fore decem annorum millia, quibus elapſis Mirozum ſacra Japonum invertere molientem doctrinæ ſuæ fulmine hac è caverna redux profligabit: quare impoſtorem turpiſſimum, ſuáſque jam pridem in ſordes, & cineres reſolutum, erectis in Cœlum manibus dormire putant: íſque felix, & æterna beatitate potitus creditur, cujus mortui dentes prope cavernam hanc fuerint ſepulti. Ad hæc Cingemihuſus, ſed nunquid tot in fide erroribus ſcelera quoque junguntur? minimè repoſuit Cameus, ſi enim Bonzios (myſtarum hoc nomen eſt) demas, qui his in regnis celeberrimi, maximâ copiâ ad monaſteria, ſcelerum potiùs dixiſſem latibula, confluunt, homines, teſte Magno illo Japoniæ Apoſtolo Franciſco Xaverio, profligatæ vitæ, ſanctitatem Phariſæorum inſtar mentientes, ùt plurimum rebus magicis, & tenebrarum Principi devoti, ſi, inquam, hos demas, honeſti, rectique amantiſſimus eſt Japoniæ populus, quamvìs enim armati ſemper incedant, nunquam tamen de injuriis, nunquam de rixis, de cædibus nunquam aliquid audietur; ſoliciti, ne vel incuriis ver-

verbum excidat, quod non candidiſſimum notaret animum: honoris & famæ ſtudioſiſſimi tam dexterè illatam injuriam diſſimulant, ut non primo impetu irruant, ſed vindictam multos etiam poſt annos, tempore opportuniore quærant; eo à momento, quo quis hoſtis inſidias advertit, incomitatus plateas oberrat, ne timidi, & ignobilis animi inſimuletur. Nec extolluntur proſperis, nec adverſis franguntur; ſed eâ mentis conſtantiâ, ſeu ſors melior arriſerit, ſeu pede iniqua preſſerit, perſiſtunt; quam fortitudinem materno cum lacte hauriunt parvuli, in quorum etiam ludis puerile nihil, ſed virilia omnia advertuntur: verſare aleas, furari, in blasphemias erumpere, perjurium, ſcelera ſunt certò certiùs in cruce expianda, unam tamen, commune Bonziorum crimen, à Magiſtris ſuis edocti, luxuriam minimè deteſtantur. O ſcelus, ſuſpiravit Hacigerus, utinam & hujus crux pœna eſſet! fuiſſet ſanè, ut ad Chriſti crucem pridem advolâſſent. Fateor, ceptum ſermonem ulteriùs proſecutus eſt Zirfus, ea enim gentis eſt comitas, ut nobiliſſimi ſumma honoris teſtificatione vilem plebem excipiant, adeóque nec Europæos noſtros, nec eorum doctrinam deſpexiſſent. Quas omnes virtutes ſinè minis, ſinè verbere, ſed uno

Pa-

Parentum verbo æmulantur parvuli: ſiquidem tanta manſuetudine proles educant, ut diurnæ etiam, nocturnæque natorum lacrymæ nullos, vel levis impatientiæ igniculos materno pectori injiciant. Mira ſanè narrâſtis, hoſpites lectiſſimi, ſubjungit Cingemihuſus, recreâſtis animum, & à barbaris virtutem mutuandam docuiſtis: ſed quoniam cœnula parata, primúmque ferculum menſæ illatum eſt, conſidete, & non dapibus corpus, quæ tenues nimiùm ſunt, ſed ſincera potiùs, bonáque in vos voluntate paſcite animum: grates iterum maximas egêre hoſpites, epulíſque benedictis comiter, ùt fieri amat, tergiverſantes, & primi loci honorem domeſticis deferentes, renuentibus his, cænæ aſſidebant: tum Cingemihuſus, ad Orizam primùm leviter animare, pocula imperare, gallum dein de Phaſide, binásque perdices nobili arte dividere, optima invitatis, ſuóque amantiſſimo Hacigero offerre: primus dein laticum libavit honorem, & utriusque ſalute non fundo tenus exhauſta, ſed ſummo ore dilibata, ad dulcia Bacchi prælia reliquos animavit: bibêre omnes, temperantiæ rigidè nimis leges obſervantes; vix enim ſummo ore vitra attigerant, jam ſe potâſſe, cùm vix bibiſſent, profitebantur: Poſtquàm

epu-

epulis data prima quies, dulcíque alloquio condendi cibos tempus advenerat: quærebat è ſociis Hacigerus, ſed qui ritus religionis gentis Japoniæ? duri repoſuit Zirfus, & aſperi nimiùm. Unum, ex quo ceterorum ſævitiem deſumas, adferam: annis ſingulis peregrinatio ad Idolum, Xaca dictum, hac lege inſtituitur: præfixo die in urbem Naram duo circiter millia Bonziorum conveniunt, in qua ſexaginta quinque dies quieſcunt, quia totidem iter abripiet: quod adeò aſperum, ut vix ſingulis diebus ſingula milliaria reſpondeant: ſufficiens interim pabulum omnibus tribuitur, ut ad futura ſe diſponant jejunia, nam toto viæ tempore, nîl, nisì quantum manu capiunt orizæ manè, tantumdem veſperi ſumunt, extremâ inſuper octiduo primo ſiti præruptas, & altiſſimas petras peragrando laborant, defectu aquæ, quam nî ſecum aſportent, vix alicubi inveniunt: quare multi pietatem ſuam morte ſolvunt; & quidem morte duriſſimâ, nam ſinè omni ope, ſinè commiſerationis ſigno, quod edere crimen foret maximum, ab amicis, fratribus, ipſis Parentibus ferarum inſtar ſoli relinquuntur: ſed necdum hæc maxima ſævities eſt (perpendite, quæſo, quantùm non divinos honores ſuperbus ille inferni Spiritus æmuletur! quámque crudele

in ſuos dominium exerceat!) poſtquàm octo milliarium iter confecêre, profunda in ſylva à novis Bonziis, qui non homines, quales videntur, ſed veri ſtygii alaſtoris emiſſarii ſunt, perhumaniter ſalutantur, ſi ſalus dici poteſt, cùm fœdo, & abominando vultu, turpiſſimíſque geſtibus horrorem nemini non incutiant: ab his viæ ducibus jam in horridas valles, non, ut deſcendant, ſed ut præcipitentur, jam in petras, quarum vertex nubes contingere viſus, manibus, pedibúſque reptando, nunquam ſinè præſentiſſimo vitæ diſcrimine, deducuntur: cùm tamen infernales comites caprarum inſtar eas tranſiliant: læto tamen animo moleſtias omnes tolerant, ſeſe invicem ad pietatem in Xacam, ſeveráque jejunia animantes; in quæ ſi vel parùm quis peccâſſe notatus eſt, illico colligatis manibus arbori, quæ à montis apice in vallem declinat, ſuſpenditur, támque diu hærebit pendulus, donec pondere ſuo fracto, aut inclinato ramo in profundiſſima ſaxa præcipitetur. Immane ſanè, Hacigerus interpoſuit, pœnæ hoc genus, crudelis in tartarea monſtra religio! Sed longè crudelior fit, ſubjunxit Zirſus à præſentium gaudiis, qui enim dolere viſus, eadem in arbore ſociatur. Tum Cingemihuſus: Neronis ſanè æmuli ſunt

Bon-

Bonzii; qui lacrymas olim morte mulctavit: ulteriùs ille: ubi medium confecêre iter, amæna ſe vallis pandit, in qua die, noctéque integra implexis brachiis, pedibúsque ſedentes ſumma inter ſilentia in anteactæ vitæ noxas inquirunt, publicè coram aliis ſtatuto tempore promulgandas: vide Chriſti ſimiam Luciferum: vide aſperrimum hujus confeſſionis jugum, quæ ritu, quem mox enarrabo, abſolvitur: paucis ab Idolo milliaribus altiſſima rupes, horridæ abyſſo imminet, è qua ferrum cum bilance rotularum beneficio retrahenda, aut amovenda, protenditur: huic peregrinorum ſinguli imponuntur, circumfuſus cogit populus, ſincerè, diſtinctè errata omnia enarrent, qui renuit, ſinè mora inversâ lance in ſaxa, & ſcopulos præceps agitur: verè confitentes retracti iter continuant, tandémque ad Idolum Xacam è puriſſimo auro fuſum deveniunt, quem circùm plurima alia eodem è metallo fabricata minora ſunt ſimulacra à diverſis Principibus voti exſolvendi causâ transmiſſa, & à peregrinis deportata; quæ omnia ſtolida cum pietate adorant, quâ peractâ Fanum aliud adeunt, in quo epulando, potando, ſaltando gaudia ſua de ſuperato itinere teſtantur: poſt quæ omnia, multò meliori viâ in patriam reduces contendunt.

Nunquid horridum eſt, nunquid crudele diabolo ſervire. Barbarum id omnino, nemo negat, Cameus ſubdit, verùm, Auri ſacra fames, quid non mortalia cogis pectora? & bene illud, quod Sidronius Hoſchius ingemit:

Ah pereat! qui primus opes effodit opertas,
Quas meliùs tenebris alta tegebat humus.
Quàm bene defoſſo latuiſſet proximus auro,
Quot pariter ſcelerum monſtra ſepulta forent.

Hic, hic fulvi metalli ſplendor excæcat Bonzios, & ad pericula ſubeunda animat: perſuadent enim credulæ nimiùm genti, non viam aliam, quàm Bonziorum meritis inſtratam ad cœlum eſſe: diſpenſatores vulgò æternæ beatitatis à populo creduntur, qui ab his è charta confectas togulas magnâ pecuniæ copiâ coëmit, in quibus Xacæ prodigia, quæ neſcio, an colores plùs, an fraudulentorum verba mentiantur, adumbrata ſunt, audent inſuper jurejurando aſſerere, eum, qui moriturus hâc veſte tegitur, certò certiùs ſempiternùm felicem fore: literas quoque cambiales (juris conſultorum hæc vox eſt) reddito pro his non exiguo auri pondere diſtribuunt, quibus naulum defunctus, dummodo ejus inſerantur manibus, ad cœli littora exſolvat. Auditis his in riſum effuſi omnes, ſatìs

tìs eſt amici, Cingemibuſus inquit, nos victimas alias immolemus, ſumite appoſitas dapes, &, quæ non tam ſatiant, quàm fallendi temporis causâ apponuntur, cancrorum caudas guſtate: atque ſimul, qui hæc omnia mihi retulit, Gereſprum amandat, vinum jubet adferri melius, verùm is diuturniùs ſe, neſcio ubi detinens, redux hoſpites non invenit: qui tamen omnes ſani, & incolumes domum redierant, quales die poſtera Rhetorico in ludo vidi.

§. IV.

Heroës parvuli Japoniæ.

NIhil adeò juvenum afficit animos, & inquietos reddit, quàm ſi plures ſtudiorum æmuli, pulchra inſuper cupiditate gloriæ inflammati, eandem pro doctrinæ laurea arenam decurrunt: ceperant nuper die, quem Marti ſacrum voluit antiquitas, Rhetores opus, heri proſecuti ſunt, & inſomnem præteritam duxêre noctem, ea enim, quæ amico inter ſe ſermone ferebant, ſopito recurrebant animo, & illudente Morpheo ſe Indos inter, Japonésque verſari credebant: quare ùt primùm lux alma data eſt, exire, novósque explorare petit ſocios Zilherdacus, & ad Garcelum properans moto paulu-

lum lectulo, heus, amice! inquit, pulvinar ocyùs deſere, & dum tempus, & à ſcholis hodie quies favet, mecum ab urbe pedem verte, vel, ſi mavis, moderatorem noſtrum unà comitemur, qui, ùt heri fidem dederát, matutinum captaturus rorem, in ſylvam à templo ſanctæ Birgittæ nuncupatam contendet: Excitatus Garcelus, ùt dilecti ſui vocem, & perhumanam invitationem audiit, rogat hoſpitem, amicas tantiſper proximo in conclavi moras patiatur, donec ſe veſtibus induat, precibúsque gratias pro beneficiis à Deo noctu exhibitis, nova in futurum diem promeriturus rependat: exilit lecto, extersíſque oculis ſomnum diſcutit: & quâ valuit velocitate, ſe ad iter accingit: vix ut per plateam, quæ Carinthorum regia eſt, ad Academicum properavêre Collegium, varia Zilherdacus de heſterno ſermone, tum etiam, quæ dormienti viſa ſunt, ſocio ſuo, eruditione præſtanti, & ad alta nato juveni repetebat: ad quæ ille: differ hæc in tempus opportunius, quædam & mihi nota, quæ dein fuſiùs enarrabo, atque tuis ſi placuerint, ſociare poteris: concitato enim non nihil paſſu utendum, ne ejus præſentiam, quem diſcipuli petimus, ſeriùs advenientes amittamus: his monuit, ſed tardè nimis, ut enim forum Academicum

atti-

attigerunt, audivêre à Palæmonis alumnis Rhetorum aliquot moderatori ſuo circumfuſos jam propè ante horæ dimidium indè exceſſiſſe: quare hos inſequi ſtatuunt, dúmque in via in Serliſegũ, neſcio quò ſe ferentem, incidunt, eum ſibi ſocium, ut ternus præclarorum juvenum numerus perfectus ſit, quà precibus, quà comitate jungunt: portâ dein, à rubra turri dictâ, exeuntes medio in ponte, qui Danubio impoſitus, deſiderii metam inveniunt: hìc enim circumſpectantes adverſo vident in littore, quem animo, pedibúsque quærebant: Tum Zilherdacus: novo exultans gaudio, en ibi, ait, ſpeculatur naves, quæ aut Rheni accolas, aut alias ex imperio gentes ad colonias ducendas in Hungariam devehunt, Moderator noſter, ſuſpendit gradum, lentúmque incedens, neſcio quid ſermonis cum Liletaſis, Zirſo, & Belereccio miſcet: hi enim, nî oculus fallit, circumfuſi eſſe videntur: audiit Serliſegus, atque ut certior redderetur, tubum opticum arripiens procul diſtantes proximos oculo reddit, benè ais, reponit, ſunt, quos dixiſti, curſu, quantùm modeſtiæ leges ſinent, provolemus, bullit recentior adhuc in venis cruor, eóſque moras trahentes aſſequamur. Detinuêre enim ſe illi; nam Liletaſus junior felix Poëta

peregrinos è tempore nato carmine comitabatur.

Ite ad Pannoniæ ditiſſima jugera campos,
Vos agri, vos rura vocant, flaventibus undant,
Hæc licet agricolæ non dextra colebat, ariſtis.
Quæ non lucra cadent veſtro cumulata labore?
Quando virebit ager feſſo renovatus aratro
Pinguior, & gemino reddet cum fœnore fructus.

Invidit ſponte nato carmini Belereccius; séque ut Poëtam probaret, magnæ militum domui (Caſſarm dicunt) qua tranſeundum erat, verſiculos inſcripſit.

Quanta domus! quot non ſede hâc clauduntur in una
Robora magna virûm? qui toto pectore Martem
Auſtriacum geſsêre olim, nunc pace fruuntur,
Et meritam capiunt poſt prælia multa quietem.
Si tamen hæc pax eſt, venturis reddere bellis
Quæ ſolet Heroës, notóſque animare calores.
Non nimia hìc requies, non hibernacula ſegnes
Enervant torpore manus; verùm agmina duris
Exercere labor ſtudiis eſt, frangere vires
Queis valeant hoſtis, ſuetáſque capeſſere lauros.

Intereà Zirſus, Moderatori ſuo alios præcedens, heſternos de Japonia ſermones, quóſque à Cingemihuſo, Hacigeróque intellexerat, retulit; approbavit is inſtitutum, laudavit ſolertiam, & ut Japoniæ quoque parvulos quærant, animavit: tum tres ſudore toto vultu perfuſi in ipſo ſilvæ ingreſſu advenêre hoſpites, quos ùt chariſſimos ſalu-

ſalutavit diſcipulos, Sociósque eſſe in Zirſi opere juſſit, indignatus Zilherdacus: ſibi primam referendi gloriam ablatam eſſe; erimus, inquit, & fuimus ſocii, & quidem priores Zirſo: ad quæ ille, benè ſe habent omnia, ubi primas nobis nemus umbras conceſſerit, conſidebimus, dúmque vos à concitato curſu nimiùm calidi blanditiis Zephyri frigus capietis, audiam, quos quilibet heroës noverit: dictum factum: atque ubi

Conceſſit gelidas ſemotis ſolibus umbras,
Obſcurum cingens connexis aëra ramis,
Nigrantémque nemus densâ dedit ilice ſilvam,

ſedêre, atque illico loci amænitate allectus Garcelus umbram laudare cepit.

Umbra juvat Panas, Faunos juvat umbra bicornes,
Umbra viatori requies placidiſſima feſſo,
Languentíque ſimul pecori, pecorísque Magiſtris.

Tum Zirſus: factum illuſtre de quodam Japoniæ Adoleſcentulo refert Scipio Amatus: erat is Fratris Regis Idate Filiolus: qui ab aulicis viſo Domini ſui exemplo fidem Chriſtianam amplexis varia Religionis noſtræ rudimenta edidicit: placuêre omnia, atque eo jam erat animo parvulus, ut cum his jejunare, tenerúmque, & innocuum Corpus affligere in deliciis haberet: Avia Idolis addictiſſima, malo, quod credidit, præventura durum nimis Chriſti jugum eſſe, quo deterreretur, omni, quâ po-

potuit, verborum efficaciâ, adjectis etiam figmentis Nepoti exaggeravit, Voxióque potiùs ſerviendum eſſe contendit. Cui puer: quæ ergo, amabo, Chriſtianorum onera? barbara, & inhumana omnino, reponit illa: en, certiſſimis accepi teſtibus: his mediâ ſurgendum nocte, & genu flexis ad ſolis uſque ortum, quo tempore laudes Deo ſuo concinunt, perſeverandum: ſummâ hyeme ſe nudos collo tenus frigidiſſimæ immergunt: carnibus abſtinent, cœnâ unâ tota die contenti: exorandi famuli, ut Dominorum terga copiosè effuso ſanguine virgultis laceſſant. Audiit juvenis, & tantum à timore abfuit, ut omnia ſui in emolumenta verterit: tres menſes integros ſummo fervore omnia hæc executus eſt, dúmque eapropterâ Parente laudaretur; pietatem occultare, ne virtus vanæ gloriæ fuliginem contraheret, quàm accuratiſſimè ſtuduit: id mirare, his ſub pænitentiæ operibus, velut olim Babylonii pueri, formoſiorem longè, quam anteà parvulum extitiſſe, quare Avia mota ipſa curam, operámque omnem adhibuit, ut meliùs fidem noſtram edoceretur, tandémque in ſacro fonte renaſceretur.

Simile, ſi fas eſt, conſtantiæ, & fortitudinis exemplar referam, ſubjunxit Serliſegus Gnenifoyni Proregis Meaci duo filii, neſcio

ſcio parente, ad Chriſti labara Sacramentum dixêre. Paulus Socondono primo-genitus, ùt audiit Chriſtianis necem intentari, ſpe palmæ fuſo ſanguine obtinendæ cum octo famulis, quos idem ardor accenderat, præcipitato itinere Ozacam contendere, séque judicibus objicere, palàm religionem nuper aſſumptam profiteri, ſanguinéque ſuo ſignandum ad cœlum tramitem invenire decrevit: majus adhuc virtutis ſpecimen Conſtantinus ætate minor edidit: primùm is mutato domicilio ſe Chriſtianis adjunxit, ut cum iis ad carcerem, & ad ſupplicium raperetur, verùm, ùt vidit, ſibi ab ſatellitibus utpote noto, & nobiliſſimo parci: Parentem, cui feralis ſententia commiſſa erat, accedit: ſe Chriſti fidem ſuſcepiſſe, mortémque pro ea petere teſtatur. Mutatæ religionis ignarus genitor, qui filiolum præ ceteris amabat, terreri, & velut amor cruorem in ſaxa mutâſſet, marmoris inſtar mutus obrigeſcere; reſumpto tandem ſpiritu Conſtantinũ affari: Fili mi, neſcivi hactenus, quantum capiti tuo malum accerſiveras, & meum quoque exquiri conſilium oportuiſſet: Ceterùm, nîl tibi, nisì mortem, ſi hæc Imperatori relata fuerint, eámque crudeliſſimam imaginare: ego eam ſepoſito Patris officio, ut Domini mei ſatìs fiat Imperiis, paternâ dex-

terâ lubens inferam : ſic ait, contra Juvenis ; optime Parens, non ut lethalem ictum fugiam, te fidei meæ certiorem reddidi, verùm ea ſolùm de cauſa, ne minùs prævisa ſpicula nimiùm feriant paternum pectus: interim eam horam, quæ ſuprema mihi carnificis ſub enſe fulſerit, reliquæ vitæ, utpote eam, quæ æternos cœli theſauros reſecto capite recludet, quàm longiſſimè anteponam : ad quæ Gnenifoynus lacrymarum imbre perfuſus, dolore verba prohibente, velut filium ſub ferro, quod huic vitæ filum, ſibi paternum cor divideret, jamjam cerneret, altum ingeminans, nîl quod reponeret, habebat: finiit Serliſegus, & Garcelus

Quis tantas vires, puerique in pectore robur
Quæreret? imbellis quem non deterruit ætas,
Fata ſuprema pati, durámque laceſſere mortem.
Non etenim roſeo ſuffuſus ſanguine candor,
Sidereíque orbes, radiatáque lumina frontis
(Cùm necdum ternis vitæ ſolatia luſtris
Senſerat) Heroas pueri reſtinguere flammas,
Non Patris potuêre minæ: ruit obvius enſi,
Sanguineúmque petit cœli ſuper atria callem:
Quid genus, & proavi, Japonum gens inclyta regnis?
Quid totus mihi Regis, ait, favor? omnia ſunt hæc
Mentiti vana umbra boni, quam lubicra ſpondet
Sors, laudum fatuos quando improba ſuſcitat ignes.
Qui cœlum, terrámque regit, cervice reſectâ
Spiritus æternas petet hunc ſubiturus in oras;
Hic Conſtantini Dominus, &c, &c.

Ad

Ad quæ Belereccius: parem virtutem, mi Garcele in ætate minoribus mirare : maſculæ enim fortitudinis ſol eos virtutis ſuæ ejecit radios , quibus luna debilioris ſexûs illuſtraretur, & mutuato à Parentibus lumine minora prolium ſidera refulgerent: confluxerant utriusque ſexûs varii, quos palmæ obtinendæ ſpes inceſſerat , ad Mariæ nobilis cujusdam Matronæ ædes: in quibus, qui ad ſupplicium deducerent, magnâ animi conſtantiâ ſatellitum furorem opperiebantur: Maria de Nepote ſua undenni (cui primis ab annis domi ſuæ Chriſtianam pietatem inſtillabat) ſolicita, perge, inquit, filiola, & Parentes repete, téque præſentiſſimo periculo, mortíque eripe : audiit hæc parvula, & ubertim in lacrymas effuſa: Parentes, reponit, neſcio, matrem noſco, quæ me fidei genuit, nimirum te : Chriſtiana ſum, ſtat pro fide mori, an minùs robur meo ineſſe animo, quàm tuo arbitraris ? falleris ſanè, ſi id credis, mutabíſque ſententiam, aut ab enſe jugulum meum petituro : aut à rogo edocta : quare Parentes advocati, ut fugam filiolæ perſuadeant, ſed fruſtrà omnia , de timore enim, & blanditiis Amazon tenera jam dudum triumphabat. Tantum nimirum eſt pro Chriſto pugnâſſe.

Ut

Ut ætate, itâ fortitudine par, major Liletaſus addit, puer Thomas puellæ huic in victoriæ gloria ſociandus venit, hunc mater à ſe, ne viſo filio tormenta inter conſtantiâ deficeret, urbe ablegare ſtatuit, quod ut puero ſubolere cepit: mater, ajebat, turpe eſt fugam ſimulare Chriſtiano pugili: an ego mortem timerem? animaberis ſanè per me, dum primus in ſupplicii locum evolabo.

Seu petat hoc jugulum, qui ſæviit horror Idumes
Sanguine in innocuo, ſeu Matri inimica Neronis
Dextera rimetur ſcelerato viſcera ferro;
Seu Phalaris tauro includat, lectóve Procuſtes:
Nîl metuo, nîl mille neces, nîl mille cataſtas,
Nîl ego mille rogos, nîl mille timebo ſecures,
Si modò ſperatas referam poſt prælia palmas.

Laudâſti Thomam, fratris verba Liletaſus alter interrupit, junior ego juniorem quoque Ludovicum laudabo: hic vix ſeptimo ætatis anno expleto, cùm Matrem in crucem agi cerneret, accurrit illicò, ſéque ſuffigi poſtulat: quid hoc? lictorum aliquis puerum affatur, necdum quid ſit vivere, minùs quid ſit mori nôſti: novi utique, repoſuit parvulus, quid ſit vivere, & quidem vitam, quam tu neſcis, cœlo dignam, novi: quid ſit mori, & quidem pro Deo, pro fide, pro cœlo, & novi nîl eſſe aliud, quàm trium-

triumphare, indignatus reſponſum barbarus, Ludovicum arripit, & ponè Matrem ſuſpendit; Machabæam hìc alteram ſuſpicere licuit: non triſti ſpectaculo, nec proxima filii morte territa peto (inquit) à te nate, ut cœlum aſpicias: quò unà cum Parente tuo properamus, recepturi utique coronam gloriæ, quam Deus præparavit diligentibus ſe: ad quæ Serliſegus.

Heroa attulimus, amici optimi, puerorum facta: unius Juſti Ucondini ad maxima nati juvenis, viri dein conſtantiſſimi, cui vix Japonia ſimilem viderat, non meminiſſe crimini ducerem: è primo is totius Japoniæ ortus genere, Tacagama nempe (quod idiomate noſtro montem altum ſignificat) dignus ſanè, qui nomen cum omine gereret: poſtquàm tertium duobus luſtris adjecit annum, florem juventutis ſuæ ſacris undis luſtratus vitæque intemeratæ candorem æternum DEO conſecravit, jusjurandum adjiciens, velut olim Romanorum hoſtis puer Hannibal ad aras, nunquam ſe deſtiturum, donec omnes errorum tenebræ luce fidei fuerint diſpulſæ, nec vanæ erant ſinè viribus in idola iræ, fidem enim propè omnem ſuperat eorum copia, quibus ille teneris adhuc annis partim exemplo (multùm enim, ut ſequantur ſubditi, juvat Principes

præ-

præceſſiſſe) partim piis monitis ſuave Chriſti jugum impoſuit. Verùm fervor hic igneus, ùt magnes ferrum, peſſima quæque perſecutionum genera in ſe attraxit. Jacuinus quidam, homo vafer, & præſtigiis natus, qui deſerta Bonziorum religione medicam exercere, & per eam Imperatoris favorem demereri ſtudebat, occaſionem opportunam, qua Juſtum ſterneret, diu fruſtrà inquirens, eam tandem nocte una, dum Princeps luſitano ſe vino nimiùm ingurgitaverat, invenit; hìc ille: Auguſtiſſime Monarcha, Arimam (civitates inter Principes Japoniæ una eſt) perquiſivi integram, ut eos Domino meo puellas adducerem, quas liberalior forma præ ceteris commendaret, inveni plurimas, nulla tamen, quia omnes jam Chriſto virginitatem voverant, ut Imperatoris pareret mandatis, induci potuit: quin adeò malè mecum actum, ut, nî præmaturè de fuga Conſilium cepiſſem, furori ſuo me miſerum immolâſſent: auditis his Tyrannus furere, velut equus, cui non eſt intellectus, iras ſpumare, ringi tygridis inſtar, cui catulos venatoris aſtus abripuit, jurare, omnes à ſe Arimenſes virgines trucidatum iri: furore amentem accendere ampliùs auſus Jacuinus: Juſtus Ucondonus, inquit, cauſa una eſt, & origo mali: regni
pri-

primores hunc jam pœnè omnes ſecuti, ducenta millia Chriſtianorum numerat: & fiet ſanè, ut Japonia ſui neſcia ſe Europæâ ſectâ infectam mirabitur. Cauſa tua agitur, Auguſtiſſime Princeps, & quidem cauſa ſolii, cauſa capitis tui, nî imminenti malo protinus adſis, imperio dejectus (quod omen patrii Dii avertant) ſervum ages Ucondoni: noſti benignitate tua Juſto Exercitûs præfecturam demandatam eſſe, militum, quò libet, flectit animos, quis enim non imperatoris ſequeretur exempla, quem aliunde jam ſua ad dogmata pridem perduxit. Nulla non dies claſſem novam ex Europa in ſubſidium (ùt non vanus auguror) venientem aſpicit: Mangaſaquo (arci utpote præ omnibus munitæ) dominatur: nutu opus eſt, & Japoniæ vertet imperium, ſceleratóque capiti coronam imponet: dixit, & mendaciis ſermone pleniſſimo adeò Principis accendit animum Jacuinus, ut illicò Ucondono per delegatos nuntiaret, aut cras exul abeſſet imperio, aut ſuſceptam fidem ad Idola redux deteſtaretur, nec primo nuntio contentus furore, vinóque amens Imperator, meliùs dixiſſem (detur venia verbo) coronata bellua, alios delegat, ut repetitis ictibus immotus Juſti animus eadem virtutis, & conſtantiæ monumen-

menta, quæ olim Huſſitis Jobus exhibuit, Japonibus exhiberet. Verùm Ucondonus immoti vir animi: comiter accepit nuntios: Exilium, inquit; præ turpi Idolorum cultu eligo (referte Regi) bona, honores, magni nominis exiſtimationem (quæ aut dedit, aut obtenta permiſit) auferat, grates quidem magnas pro acceptis rependo, majores pro ablatis habebo, quin imò, ſi placet, vitam, quam nec dare potuit, tollat; de corpore triumphare licebit, animum franget nunquam; victorem ſemper Ucondonum videbit, ut ſciat felicior jam, quàm antehac, Japonia, majorem eſſe Dominum, qui corda gubernat. Referebantur hæc omnia Imperatori, quare majori commotus irâ exilii edictum accelerare jubet: quod ſanè terris in aliis non adeò crudele, quàm in his eſt, non enim reus ſolùm pœnas dat, ſed bonis omnibus fiſco (ùt ajunt) adſcriptis, quicunque ſanguine juncti inopes exulare coguntur: movit inopinus caſus eos, qui ſanguine juncti; ſuadent Juſto, tantiſper caput furori ſubducat, ſæpe intonare æthera, quin fulmina ejiciant: verùm ùt vidit Heros Chriſtianus, ſimulatione opus eſſe, fæminam hæc decet, ait, non virum: fingant ſe, quibus abjectus eſt animus, impavidum Chriſtus pugilem requirit:

rit: primo proin diluculo Præfectos omnes militiæ adeſſe jubet, adſunt hi, & ab optimo Principe optima quæque ſperantes triſtiſſima audiverunt; narrat verſam fortunæ rotam, abitum, bona perdita, dignitatem amiſſam, & fidei quidem causâ enarrat; id unum ſibi fideles præſtent, enixè rogat: templum petant, Hymnúmque ſecum Divi Ambroſii pro victoria tamdiu ſperata, tot votis quæſita, tandem aliquando obtenta intonent: parent omnes, Pater ætate graviſſimus Darius, frater Tarjomedonus ærumnarum ſocii cum duobus filiis, omniúmque horum conjugibus ſequuntur. Pulchrum ſanè, & inauditum erat ſpectaculum, videre hodie majori lætitia incedentes pauperes, quos heri Japonia Principes venerabatur; exiêre urbe non minore ſanè gaudio, quàm olim ſuperbi orbis triumphatores capitolio fuerint invecti: ſequebantur hos quàm plurimi, qui fidem in DEUM, Dominúmque ſuum morte etiam teſtari deſiderabant; viri tenuem domo ereptam ſupellectilem, fœminæ proles ſuas humeris impoſuêre: judicantes utique: meliùs fore, ærumnas inter Chriſtianè vivere, quàm inter idololatras ſuperbire. Auguſtinus Chriſtianus Princeps, ut de horum audiit exilio, perhumaniter invitatos, eò tandem perduxit, ut in regno

ſuo vile tentorium erigerent, in quo miſeram, cœleſtibus tamen ſolatiis mixtam vitam duxêre. En novum hìc iterum conſtantiæ Ucondoni experimentum! Daifuſama, mortuo tyranno, in Imperatorem eligitur: Juſtum, cujus merita probè nota, exilio revocat, rogat denuo, ut Idola adoret: aſt non movêre blandientis aquæ murmura petram: quare denuò ablegatur, & ut deſerat Japoniam tot tentationum Parentem, Heros vinci neſcius Manilam maritimam Hiſpaniæ urbem petit, ubi quadraginta poſt adventum diebus Mercedem in cœlis recepturus vivere deſiit. Cum quo, ego quoque deſino, tu carmen adde Petre Liletaſe: tum iſte:

Heu mihi! ſi linguæ centum, ſint oráque centum,
Cederet & vates, genuit quem Mantua, laurum,
Omnia condigno non fas eſt dicere metro,
Et fortem celebrare virum, qui millia paſſus,
Neglectæ toties funeſta pericula vitæ:
Juſtus Ucondonus! quantum nomen! polus ipſe
Hunc veneratur amans, multáſque in prælia palmas
Depluit, & tumuli primos incingit honores.
Hoc ego, ni fallor, buſtis inſcribere carmen,
Alma fides delapſa polo, pietáſque volebat.
Hìc jacet Hyſpanâ defoſſus Juſtus arenâ,
Cui primas Japonum regio dedit improba cunas,
Quam genuit tamen ille DEO: depulſus iniquis
Eſt laribus, patriis juſſus decedere regnis,
Pauper, egenus, inops, quem nuper poplite flexo
Re-

RPJCB


Ein Sineser

Regna ducem venerata ſuum, venerata Parentem.
Siſte viator, & hìc diſces fortiſſima mentis
Robora, frangere quæ nulli potuêre tumultus:
In cineres vir magnus abit: ſed in æthere ſemper
Ejus honos, noménque viri, laudéſque ſonabunt.

Laudavit Diſcipulorum ſtudium Moderator, & ne longiores moras traherent, de reditu monuit, obtemperârunt hi, & ſermones omnes de Japonia terminârunt.

§. V.

Sinarum ſcientiæ, Virtutes, & Ritus Politici referuntur.

DE Japonia ſermones habiti in amæna fuerant ſuprà nominata inſula, ubi

- - - - Silvis ſcena coruſcis
Deſuper, & gratâ denſum nemus imminet umbrâ.

æquale ſtudium eodem pœne tempore, occupavit alibi Rhetores, & nec loco, nec labore prævifo Sinarum deſcripsêre Imperium. Fors Pino-Montius, ut conſuetæ pietati ſatisfaceret, templum Academicum petiit, cujus ante veſtibulum in Pelliramium, & Malleolum offendit, Magintaum, & Holpium, qui ſacerdoti ad aras facienti Angelicum exhibuêre obſequium, exſpectantes: rogavit hos, moras trahant, donec horæ dimidium DEO litâſ-

ſet :non potuit optimo Juveni quidquam abnuere Pelliramius, præcipuè cum ſe Pino-montio, & in ſuſcepto religionis opere, & in amica petitione Nechlerus jungeret: terminata devotione Holpius reduces ſalutans: quid lenti, inquit, in urbe computreſcitis? non enim nimio dies hæc ardore flagrat, cùm obductæ non nihil nubes ſolis radios impediant, caloréſque aura leniter hodie ventis mota æſtivos mitiget: ite, & quò ſors inopina tulerit, in hortis delicias ſtudiis noſtris debitas capiamus: aſſenſere alii, alii renuerunt, comi tamen, ùt integerrimus Juvenis Solet, Magintai ſermone permoti, ſequi, quàm inurbani videri maluerunt: primum aſſenſiſſe ajunt Pino-montium, nam ùt ſimilis ſimili gaudet, gaviſus eſt præclarorum juvenum comitatu: abiere proinde urbe, neſcii adhuc, quò tenderent, & extremum profectò deambulationis fuiſſet conſilium, palos foſſis circum implantatos numerare, nî obvium ſe tuliſſet Arevalus cum Cameo, viſis condiſcipulis prior, ſalvete, inquit, chara capita, en triſtior non nihil polus ſe ſpectandum exhibet; nigra puto traxit nubes caligine fumum: palatium tamen, ad quod peregrinum Cameum meum deducam ſolatia hodie, quæ ſolis invidia negat, abundanter dabit, eſt id,

quod

quod videtis, Sereniſſimi Principis Eugenii: nam

Omnia quæ totum ſunt rara, aut mira per orbem
Hac in magnifica ſunt cumulata domo.

Socii, ſi licet, erimus; repoſuit Holpius, nam licèt id vidiſſe ſæpe mihi obtigerit, ſemper tamen mira voluptate ſpectavi: ad quæ Cameus, quàm optimè: ite, & mecum unà admiratores ſitis: eadem erat omnium mens, jámque ubi deventum, hortum ille, cubilia alter non ſat potuit prædicare: hìc tandem futuri ignarus eventûs Malleolus ad coronaria invitat tempe: en, ait, quàm pulchro ordine ſeptena hìc ſurgunt cubilia, ambitibus inter ſe (quos penſiles horti, fruticésque implexis brachiis repentes tegunt) connexa.

Omnia ad illecebras, liquidámque parata voluptam.

Hìc enim odore nares, aures avium muſicâ, totus homo amæno umbræ horrore recreatur. Sequuntur ſocii, dúmque in medio horum conclavium conſedêre, tabulata curioſiùs non nihil intuens Cameus: quem, quæſo, ſciſcitatur, laborem interior facies candore, auro, picturíſque amænè non minùs, quàm pretioſè efformatis exhibet? Sinarum, reponit Holpius, atque ideo minùs mirum; de hoc enim Aſiæ Im-

perio ea jure merito, quæ olim de Roma Propertius, canere potero.

Omnia Sinenſi cedant miracula terræ,
Natura hìc poſuit, quidquid ubique fuit.

Tum Pino-montius, deſcribe, ſi noſti modicè lectiſſime Holſpi: quodnam hoc regnum tam brevi compendio ſummè à te laudatum: ad quæ ille, Sina, ſeu China ſeptentrionem versùs à Scythia, Tartariáque dividitur muro ad tercentum ultra milliaria germanica extenſo: cujus altitudo ſexaginta, latitudo quindecim pedes æquat, qui tamen totus æquali ubique magnitudine, per montes, præruptas petras, fluvios, erectis junctus arcubus, &, non, nisì duplici teli jactu ſeſe inter diſtantibus propugnaculis, turribúsque munitus excurrit: nunquid hoc magnæ artis prodigium? à Xio Sinarum Imperatore, quinquennio uno erectum, cui contra repetitos Tartarorum inſultus defendendo decies centena millia armatorum aſſignati. Ceterùm regio hæc principes urbes centum, & quinquaginta, minores mille ducentas viginti ſex numerat incredibili hominum copia adeò refertas, ut nullâ non diei horâ omni in platea, & foro nundinas celebrari crederes: terra amæniſſima, frugum omnium fœcunda Parens, aër ſaluberrimus, ut non mirum ſit: patriam hanc

ab

ab Incolis Chumkque, ſeu Paradyſum dici: urbes adeò copioſæ, & ſeſe inter vicinæ, ut totum regnum urbs una poſſet videri: flumina prætereà arte undique ducuntur, nam omnis prope civitas ſua ad littora velis inſtructas onerarias recipit.

Deſcripſiſti benè (interpoſuit Pelliramius) Sinarum delicias, aliquid, ſi benignas aures ceditis, de incolis, quod nuper legi, adferam: coloris hi, ſi provinciam Chantam excipias, albi ſunt, capilli ſeu barbæ, ſeu capitis pœnè omnibus nigri, quos nodo cervicem ſupra ligatos viri, fæminæque quadrato, aut rotundo pileo plumis exornato tegunt: ea puella reliquis formoſior, quæ tenuiſſimas ſuras nacta: quare parvulæ annis aliquot, vi, quà poſſunt, maximâ eas faſciis conſtrictas gerunt, ut aliquando capripedes eſſe videantur. Afferunt morem hunc à Philoſopho, qui ſumma apud eos in veneratione erat, præſcriptum, ne pedibus firmæ fœminæ exitum ſæpè periculis expoſitum frequentiùs repetant: nulla enim nunc, niſi alteri innixa, progredi valet, adeóque de integritate omnium bene conſultum. Veſtes gerunt pœne omnes è ſerico, cujus hìc ſuperabundat copia, ad terram usque defluentes: primores Regni ſinicum inſigne (Draconem ſcilicet) plebs

geminas ardeas pectori impreſſas gerit: calcei nobilium gemmis, auróque exornantur. Omnia ad pompam inſtructa, ungues tamen protenſi, &, quod multi ſolent, arundinibus clauſi, ne detrimentum patiantur, fœdum quid Europæis exhibent. Sed nunquid etiam barbarus (quæſivit Cameus) Sinarum eſt populus?

Minimè reſpondit Magintaus: vix enim ars eſt, quam non callent, perſpicaciſſimi ingenii, & ad nova ſemper invenienda nati: liberales artes & velociſſimè capiunt, & ſummâ excolunt ſolertiâ: Typographia, non diu nobis nota, nota erat Sinis ante Chriſti adventum: nitrato pulvere, & baliſtis uſi ſunt, acúque magneticâ ſecurum iter per maria inſtituerant, priusquàm Europa genuit aliquem, qui de his cogitaret. Nôrunt Pyrobolaria arte hortos unà cum frugibus, tentoria, exercitus integros, palatia celeberrima exprimere, ut vix ità exprimi poſſe coloribus videantur: in Ebano, marmore varias figuras ſculpere, cuprum, diversáque metalla fundere, acu pingere, adamantes molles reddere adeò didicerunt, ut in his, aliíſque ſimilibus artibus gentes omnes quàm longiſſimè antecedant: Quid memorem de Architectonica? unâ eam turri, in qua artem hanc gloriæ ſuæ attigiſſe faſtigium in-

intelliges, comprobabo : hæc extra urbem Lincing fano impoſita, octo formata angulis nonaginta ulnis ſe in altum tollit : exterior facies pretioſiſſimâ argillâ (quam Porcellan vocant) variis ornata figuris veſtitur : interior è puro, eóque vario marmore ſurgit, ſpeculi inſtar pellucido , ut imaginem tui nullo non in loco expreſſam videas, novies dividitur; & quò pedem figis, marmori inſiſtis, feneſtræ ferreis mūnitæ clathris in auro ſuperpoſito ardent : ſuſpenſæ undique æreæ campanulæ, quæ à vento agitatæ dulciſſimâ harmoniâ colludunt : apicem ſummum è cupro fuſum, & obrizo metallo accenſum Idolum tenet. Turrim hanc fana plurima, eáque omnia artis miracula, quæ præcipuis Romanorum palatiis nullatenus cederent, ambiunt : ùt viſis utríſque Pater Martinius, in ſuo Atlante Sinico, qui hanc turrim conſcendit, teſtatur.

Bina huic ſimilia in à te nominato Authore, dum Geographiæ modicam darem operam, prodigia inveni, ſubjungit Malleolus; pontes ſunt, & unus quidem prope metropolim Focheu, qui ter mille quadringentos pedes longus è mero quadrato albo lapide confectus : centum altiſſimis arcubus fulcitur : alter ad urbem Civenkeu fluvio Loyang impoſitus è nigro lapide ſciſſo ad

octo millia, & octingentos pedes excreſcit: nulli arcui, ſed tercentum e ſaxo columnis ad navis formam acutis, ut torrentem immotæ excipiant, ſuſtentatur: utraque parte inter affabrè elaboratas Leonum imagines, lapideæ crepidines ſecurum iter viatoribus faciunt: verùm hæc ſatìs de Sinarum artibus: verbo, ars naturæ certâſſe viſa eſt, ut dum hæc uberrima dona in Sinas effudit, illa labore ſuo plura adderet, additíſque triumpharet: tu, quæſo, Nechlere ſtudium horum proſequere: ad quæ iſte.

Medici ſunt toto orbe celeberrimi, occultas herbarum, arborum, lapidúmque vires, quibus parùm mixtis, variatíſque omni morborum generi medentur, quàm optimè callent: vix tetigêre arteriam, & jam, quod malum corpus infeſtet, ubi belli ſui ſumpſerit exordia, cui parti præceteris inimica, quæ cauſa, & origo, tacenti interim, nec de dolore conquerenti ægroto enarrant. In quibus ſi quem fortè errare contingeret, ilicò pedem auferre, non redire ampliùs auſus cogeretur. Nîl hìc de Matheſi, nîl de aſtrorum notitia, de Philoſophia nihil, quibus ſcientiis totam propè vitam addicunt, memorare volo.

Erudito huic labori virtutes quoque maximas ſociant, gens nulla adeò manſueta, & fu-

furoris omnis neſcia, ac Sinarum eſt: quare nemo, niſì belli petant diſcrimina, arma gerit, imò nec domi illa tolerantur: injuriam ſibi allatam forti premunt animo, crimen judicantes turpiſſimum, vel verbo ullo vices rependere. Moderato greſſu defixis in terram oculis, dum foras eundum, plateas oberrant, comes, affabiles, liberales, & inſolitæ prorſus humanitatis; quando enim ſalutant, alloquuntur vel inviſunt alios, mille comitatis officiis invicem fatigantur. Filii Parentes, Diſcipuli Moderatores eâ colunt obſervantiâ, ut egentibus omni ope ſuccurrere, quamvìs vilioribus digniorem locum deferre, quàm accuratiſſimè ſtudeant, eóſque ultra ferarum ſortem deprimant, qui in hoc deſiderari aliquid patiuntur. Fœminarum præcipuè eſt ſumma continentia: omnia præter vultum obtegunt, nec ulla è viri manibus aliquid, ſed oblatum ſcabello, vel menſæ impoſitum obvelatâ dexterâ accipiet. Marito defunɛ̃o vidua nunquam nuptias repetet, vituperio ſcilicet dignum cenſeret, prioris oblíviſci: eriguntur ea propter caſtiſſimis his matronis triumphales arcus, & columnæ, lemmate inſcripto: nemo poteſt duobus Dominis ſervire, nec mulier duobus viris.

Tum Cameus, verùm quis noſtrûm ritus aliquos tot virtutibus exculti populi

no-

novit: ego (petitis ſatisfacturus ajebat Pino-Montius) en ſalutationum hic modus: caput nudare, pede recedere, obvios amplecti, manus oſculari, conſueta nobis officia, barbara dicunt: verùm junctas ſupra pectus manus manicis impoſitis invicem jungunt, lentè dein ſimul elevantes repetito ſæpiùs *cin*, *cin*, ſalutem exſolvunt, ſi quem domi ſuæ conveniunt, præmiſſo dicto ritu corpus profundè inclinant, obſervantes, ut vultus portæ, quæ ſemper meridiem reſpicit, obvertatur: ſervus Dominum, aut vulgus nobilem ſalutans flectit genua, & ter frontem ſolo leviter apprimit, ſurgunt dein, & poſt quodvis reſponſum redditum rurſus in genua volvuntur: Nobiles aut caſu ſibi obvii, aut domi convenientes, illicò nobiliori ſe veſte induunt; ità, ut ſi quem non habentem nuptialem veſtem alter deprehenderit, ritus intereà, velut in ignotum offenderet, intermittat, donec famuli eam, qui ſequentes amictum nobiliorem pro omni obventuro periculo aſſiduè portant, Domino ſuo injiciant. Si fortè plures neceſſitudinis causâ eadem in æde ſe excipiunt, non famuli, velut mos noſtris in terris eſt, ſed nobiliſſimus omnium utrâque manu prehensâ ſedem unam poſt alteram pro hoſpitum numero in circum diſponit, & licèt

nec

nec pulviſculus adhæſerit, mundare tamen ſe fingit : ut conſedere, tot, quot præſentes ſunt, phialas (è Porcellan) famulorum optimus quadrato, belléque elaborato in aſſere allatas, ordine dignitatis habito omnibus offert : bibunt in his calidam Ciam vini locò, aut ex argenteo cochleari unà cum aromatibus circumpoſitis ſorbent : repetitur potus idem, ſi diuturnior ſermo fuerit. Valedicentes eodem ritu, quo ſalutantes exceperunt, remittunt : ad oſtium uſque Pater familias comitatur, rogat equis inſideant, aut ſellâ portatili utantur : negantibus his, eo præſente unquam ſe abituros, terna corporis inclinatione velut invitus recedit : mittit dein famulum, qui abeuntes inſequatur, denuóque iis dulciſſimum vale dicat, remiſſo ab his nuntio tandem aliquando ſeparantur. Audiit, & ſuaviter renidens Holpius, qua ergò, inquit, veneratione, ſi tantam inter ſe exhibent, Regem Sinæ venerantur ? majori longè (reponit Cameus) nemo Principis vultum intueri audet, præter eos, quos Camerarios dicimus, ùt plurimùm Eunuchos, & proximè ſanguine junctos, qui Palatium Imperatorium incolunt; nihil, nisì ſcripto, ad eum defertur, & quidem ſcripto, in quo doctiſſimus quisque dies, noctésque conſumit : annis ſingu-

lis,

lis, dum nova cornua reſumit luna, omni in urbe ſolium erigitur, cui Draco Imperatoris inſigne imponitur; quâ coram imagine omnes genua flectunt, ſuóque Principi decem annorum millia precantur: imò dum adhuc ſe multos jam ante annos Majeſtas Sinica videndam dedit: coronâ ex ebore pede uno altâ, & adamantibus gravidâ capiti impoſitâ, ut alter ſol oriri videretur, ſupremâ Palatii feneſtrâ proſpexit, & illuminavit ſanè, ſi fortè quam habuit, oris fuſcitatem. Vix hæc Cameus diſſeruerat: Pino-Montius monuit, tempus eſſe, quo domum redeundum.

Fecit enim minimas jam ſol altiſſimus umbras.

Funeris tamen, ait, ſolemnia amici audite, cùm his enim ſermonem noſtrum unà tumulabimus. Vix ùt defunctus Parens eſt, filii craſsâ è canabe telâ induuntur, pari fune circa lumbos ſtrictâ, qui ad luctum omnem veſtitus tribus annis geſtatur. Sunt, qui in quadriennium mortuorum cadavera domi ſervant, quo tempore cibo nullo veſcuntur calido, ſomnum prope ſarcophagum in ſtramine capientes. Ut funus effertur, primo ordine icones virorum, mulierum, elephantorum, tygridum, leonum portantur, quæ omnes ante tumulum Vulcano cedunt, ut vanitatem prætereuntis mundi


Ein Bisnagar

RPJCB

di deſignent: poſt has ſequuntur Bonzii inconditum quid aut voce, aut tympanis, aut cymbalis, edentes: dein famuli plurima, eáque ingentia thuris cremandi vaſa humeris geſtantes, tandem ferale pegma ſub pretioſo è ſerico conopeo à quadraginta vel quinquaginta etiam viris deportatur. Prope hoc triſtes ſcipionibus innixi filii (velut dolor vires omnes fregiſſet) non tam eunt; quàm repunt: agmen claudunt matronæ ſanguine junctæ, ſingulæ in ſella portatili albo panno obducta, ne videre alios, nec videri poſſint, incluſæ: atque hic terminus ſermonis noſtri ſit: eamus, ne morâ tempus prandii negligatur: aſſensêre omnes, dúmque redirent, Cameus Arevalum invitat, in ſuam à meridie divertat domum: ut velut à Cingemihuſo parvulos Indos heri intellexit, illi quoque ſimiles Heroës in Sina inquirant, ſpondet Arevalus ſe adfuturum, tandémque omnes ſeparantur.

§. VI.

Parvuli Heroës Sinæ, Regnúmque Biſnagar, ſeu Narſinga per occaſionem deſcribitur.

VIx prandii finem expectare potuit Cameus, ſolo enim corpore menſis, animo libris adfuit: jámque mallet aut Patris Alva-

Alvari de Semedo, aut Martinii, aut Trigautii rerum Sinicarum ſcriptorum volumina pervolvere: ne materia ſermonis deſit, quo venturum hoſpitem diverteret. Quare ad ea accurrit protinus, mox ubi menſæ remotæ erant, tantáque ſolertiâ lobori huic inſudabat, ut in eo velut extra ſe raptus improviſus ab Arevalo, qui circa horam à meridie tertiam fidem ſoluturus advenerat, deprehenderetur: tum iſte: levi manu humerum impellens, cave lapſum, inquit, amice, ne libris immerſus penitus hodie ſubmergaris: admonitus Cameus, en reponit, generoſum hìc lego ſexennis puellæ Agnetis facinus: deportabatur tota urbe ad avertenda fulmina ſupplicantium ritu Idolum Yncon (quæ vox Principem tenebrarum ſignificat) & ante Patris domum (jam quidem Chriſtiani, nobiliſſimi tamen ea urbe viri) illud Bonzii figere parabant: vix advertit hoc parvula: obviam ſe dedit illicò, domum, ajens, Deus noſtram inhabitat, nulla, illum inter, & diabolum neceſſitudo: cedite protervi, nî vi reditum vobis perſuaderi velitis; verbis his attonitam primùm ſti it Ethnicorum turbam, dein impetu etiam imbelli licet, adhibito, pudore ſuffuſos abegit: hæc prima ejus victoria, quam mox altera ſecuta: acceſsêre turpes ſacrificuli

Paren-

Parentem, ſtipem pro dicta ſupplicatione petituri, inſtant precibus; hic verò primum à Moyſe obtentæ tabulæ præceptum identidem objicit: urgentibus mendicis intervenit Agnes: rogat, ne Parens tanto crimine Chriſtianum nomen deturpet, viſa triumphatrice ſua ſinè pecunia, ſinè ſpe lucri Bonzii, denuo revertebantur. Simile quoque, imò majus (ſubjungit Arevalus) in vita Patris Adami Schall, viri de Germania olim, patriâ ſuâ optimè meriti, Sinarum dein celeberrimi Doctoris legi, & quidem de puero, cujus tu memoriam nominatâ ſex annorum puellâ refricabas, totidem enim ille, dum baptiſmatis undâ à prædicto Patre adhibitâ lethali è morbo convaluit, explevit annos: Joannes huic nomen erat, qui Divi Ignatii ſacris cineribus adhibitis dum mater, mille inter quinque dies continuatos dolores, partu laborabat, vitalem hanc lucem aſpexit: intellexit ex matre hoc beneficium ſibi præſtitum puer, & ubi repere didicit; Adami lateri adhibere (ne ei ingratus ſit, cui vitæ adſcripſit primitias) quotidianum habebat; non tulit familiaritatem hanc augur quidam ſtygi devotiſſimus, & mortua parente, ſeu tunc mali ſui occaſionem opportuniorem nactus, ſeu virtus pueri adverſa ſceleri ſemper fuerit, ſeu denique furor

 ſuſpi-

ſuſpicioſum hominem, mendacem quoque fecerit, parentem accedit; ominatur, Filium procul ab avita nobilitate, & patria Sinarum virtute degeneraturum: territus divinatione Genitor, natum in villam abjicit, vile inter paſtorum vulgus educandum. Fuit hæc beatitatis olim in cœlo obtinendæ origo: dum enim luſtro adjecit annum, morbo, qui facilè teneras depaſceretur vires, ad agonem ultimum propè deducitur; depoſitâ à medicis ſpe Adamus ſe ſalutis recuperatorem offert, dummodo id, quod ſibi liberet, per Parentem liceret: conſentit hic, & ille aqua vitali moriturum abluit, ſimúlque duplici ſaluti reſtituit. Gratior bis mortis faucibus ereptus puerulus Sacerdotem illicò accedit, &, quibus potuit, memoris animi ſignis beneficium exſolvit; non mihi, repoſuit Adamus, ſed Deo gloria, hic te incolumen reddidit: huic grates repende: quare domum redux Corollam, qua Virginis ſinè labe conceptæ numerantur laudes, reliquiáſque Sancti Ignatii, quibus primùm ſanatus erat, collo imponit, parentem rogat, liceret ſibi cum his obtentæ de morte victoriæ monumentis templum Chriſtianorum accedere: noluit homo, fidem veram nimiùm exoſus, negando aditum novum dolorem cauſare parvulo,

lo, differat tantisſper in tempus opportunius imperat: interim ſacrificium, quod Idolo Quón Yúm pro filii incolumitate voverat, inſtituit: vi ad illud ducit Joannem, qui dum præſtigias deteſtabatur: intonuit ſubitò fragore cubile, adeſt infernalis ſpiritus, &, ùt Quón Yúm à Sinis pingi ſolet, gigantæa mole elatus, ardenti facie, flammeis oculis cubile oberrat, comitabantur hunc nigerrimi pueri (parens Deos! puer ſtygias credidit larvas) Joanni magìs, magíſque appropinquantes: hic ille ejulare, furere, in hoſtes irruere, parentem precibus fatigare, donec tandem ad Chriſtianorum templum concedendi facultatem obtinuerit: quare illuc delatus, totus Adami curæ commiſſus erat: qui adeò pietatem cereo impreſſit animo, ut & virtutem, & religionis noſtræ dogmata viros potuerit edocere. Necdum tamen certaminis finis, revocatus domum, valetudine infirma rurſus proſternitur: medicus, quam ars negabat, ab idolis medicinam quærit: aram prope lectum erigit, thus acerræ imponit, tartareo monſtro, quod è proximo cubili attulerat, jamjam ſacrificaturus.

Hic velut ingentem ſinuatis orbibus anguem
Vidiſſet puer, ora, & cærula colla tumentem
In ſua Lethali ruiturum viſcera morſu,

Exclamat, Divúmque, hominúmque in prælia vires,
Quo potuit, clamore vocat, cede, inquit, Averni
Bellua, tartareósque ſubi ſtyge nata penates:
Túne mihi medicus? qui triſtia ſpicula mortis
Injicis ante diem: da Pharmaca, qualia morbi
Cauſa petit, non quæ circes infecta veneno.
An decet Hypocratem morituri augere dolores?
Cede, ignave, rudis, tecúmque hæc turpia tolle
Monſtra Deûm. Unus erit Chriſtus, qui vulnera novit
Divina ſanare manu, qui, ſi velit, ille
Galenus mihi verus erit, ſi mittet Adamum.

Sic ait, & Patrem ſibi advocari rogans conſtanti fortitudine, lacrymas inter, cælóque dignas furias idolorum cultum deteſtabatur: prohibuit præſtigiator, puerique nutrix, ne nuntium famulorum aliquis ſacerdoti deferret: verùm caſu aderat Adamus: hic ille: date idolum, merito illud dignabor honore, dixit, & arreptum ſolo alliſit: mi Pater, inquiens: quot coram numeras, tot latrones vides, hi præmaturam cogunt ſubire mortem: nec deſtitit ante, quam omnia ſtygia inſtrumenta confracta conclavi fuerint ejecta.

Finiit ſermonem Arevalus, cùm fores pulſari audiunt, mox exclamari, Cameúmque nominatim vocari; quapropter, præſtò ſum, ait iſte, fortè noſtratûm ſunt alibi, quibus ſermones noſtri non diſplicebunt;

vix

vix patuêre limina, adfuit Bertholdus, Ramius, & Lemmerhayus, quibus comiter ſalutatis, & amicè cubili introductis laborem Sinicum narrabant: ad quæ Ramius, nîl mirum in exculta gente illuſtria fortitudinis reperiri monumenta; alia pars Aſiæ eſt Biſnagar dicta: hæc quoque parem virtutem in populo, ceteroquin ſummè barbaro ſpectavit. Quid Biſnagar, quæſivit, Arevalus? tum Bertholdus: dabo, ſi vultis compendio: Regnum eſt Aſiæ (aliàs Narſinga dicta) ab Indo, & Gangete gemino velut amplexu circumdatum, rebus omnibus ſeu ad victum, ſeu ad voluptatem requiſitis abundans: Incolæ ſinè lege olim, ſinè Doctore vivebant; furtum tamen iis vix de nomine cognitum, ſera nulla firmabat poſtes, etſi procul fuerit à patria caſa migrandum: nulli judices, nullæ lites, ſed, ùt verbum verbo, ita vir viro reſpondebat. Ebano fricabant corpora, ut ſuſpenſum inter aurum, argentúmque ampliùs ſplenderent. Nuptiæ nec ſponſaliis, nec amore præmiſſo celebratæ, ſed parentes filiam pari boum vendiderunt. Prope Malacam Paſtores humana carne veſcebantur: ſi quem enim ætate gravem ægrotare contigerit, ne diuturniore morbo fieret inſipidus, impreſſo capiti malleo ſupremum diem indixerunt;

 epu-

epulabantur dein nullo mærore, ſed lætitiâ affecti. Alibi homini, omníque parcunt animali, nec terram colunt, verùm eo, quod ſponte enatum eſt, victitant. Infirmi deſertam quærunt ſpecum, ſcientes utique, ſibi in hac non pejus, quàm domi fore conſultum. Alia tamen, eáque ſanior nunc vivendi eſt ratio: Principi ditiſſimo, potentiſſimóque ſubſunt, à quo reipublicæ in morem gubernantur, cujus (ſi fortè noſtrûm quiſpiam literarum aliquid ad eum dare voluerit) hic titulus: Sponſus Sebauſti; id eſt bonæ fortunæ, DEUS magnarum Provinciarum, Rex potentiſſimorum Regum, Dominus peregrinantium, Magiſter rudium, & mutorum, Monarcha trium Cæſarum, Victor omnium, quæ viderit, Terror octo mundi partium, Vindex Mahometanorum Exercituum, terrarum, quas ſuo ſubjecit Imperio, Domitor, Eques, cui nemo par, qui fortiſſimum pugilem Viravaladanum capite minuit, Dominus Orientis, Occidentis, Meridiei, & Septentrionis, omniúmque marium, Venator elephantum: en pulcherrimus dignitatum ordo, & ſecundùm Rhetoricæ leges gradatio: hic Princeps, antequàm bellum inchoet, diebus novem victimas Idolis immolat, quo tempore viginti millia diverſorum animalium

lium cæduntur, caróque in pauperes dividitur: domi nullius viri, ſed fœminarum ſolùm utitur miniſterio, quarum ſiqua ebrium Regem ſternit, filii ejus hæredes Imperii declarantur. Ceterùm, ſi religionem noſſe cupitis, eadem hæc eſt, quæ Orientalis Indiæ, Sacrificuli celeberrimi Brachmanes mirè à toto populo, & rege coluntur: hi Græciæ Gymnoſophiſtis vix abſimiles: Philoſophiæ, & Aſtronomiæ, quantum pingue cerebrum patitur, dediti: laboris omnis, ſitis, famis, caloris patientiſſimi; erant, qui irretorto oculo nudis pedibus calidiſſimæ arenæ inſiſtentes, ſolis iter obſervabant, alii vino, uxoribus alii nunquam uſi, ne ſtudiorum labores impedirentur: quare, ſi plateas obibant, præcedebat famulus, *Poo*, *Poo*, quod idem, ac, cedite, ſignificat, repetitis vocibus ingeminans, admonénsque, ne quis oculum in hæc ſcientiarum, & caſtimoniæ prodigia vertat: hanc laudem ferunt ab incolis deceptores, pœnâ potiùs digni; nam miris fabulis populo illudunt: ſcilicet durante eclypſi ſevera præcipiunt jejunia ejulantes: Væ nobis miſeris mortalibus! ſolem enim Draco jamjam devorat: in decem, aut duodecim annis diſcipulos inſtruunt, quibus, ſi vel verbum de arte ſua ſcriberent, aut vulgarent aliis, eruerentur ocu-

oculi: verùm ſat nugarum: tu Rami ſta data fide, & illuſtre factum pueri his in terris nati enarra: Ad quæ ille: Alexius è nobiliſſima Maduræ familia ortus (poſtquam à Patre Roberto de Nobilibus ſacram ablutionem accepit) errantem in fide matrem eò perduxit, ut conſuetam ſtipem Brachmanibus negaret, séque paulò poſt Chriſtianam fore profiteretur: ringebantur ea de cauſa infernales Apoſtoli, & ut pœnas repeterent, magicis artibus cervici piæ matronæ lethale vulnus inflixerunt, jacuit ea, ope, præter Divinam, omni deſtituta, quæ mox procurante filio aderat, accurrit is nempe ad Robertum, matris dolores inter lacrymas nuntiat, medicinam funeſto malo petit, quâ fraudes dæmonis, & Brachmanum præſtigias depellat; impetrat illicò, & acceptis ſanctorum oſſibus cum ſacra cera, jíſque vulneri appoſitis parentem optimam momento ſanam, & incolumen intuetur. Verùm error aliquis, quo lapſus Alexius, minimè prætereundus eſt: pius ceteroquin Juvenis veſtium ſplendorem, & luxum pro more gentis mirè appetebat: gemmas undique, uniones, adamantes, armilláſque etiam à viris his in regnis geſtari ſolitas, pretioſiſſimas toto corpore ſuſpendit: accidit ergo, ut quædam ex his furto ſurriperentur;

rentur; Juvenis furore, & ſuſpicione motus innocentem famulum impreſſis verberibus graviter excipit, atque, ut magìs ſua in opinione firmaretur, divinatorem Ethnicum accedit, qui mentiti denuò criminis inſontem accuſat; quare verbera cumulat, & in malè mulctatum, velut mente motus eſſet, deſævit: defertur indignum facinus ad Robertum, hic Alexio, templo, & Chriſtianorum ſocietate more Eccleſiæ interdicit: fulmen hoc erat, quod & Juvenis cor feriebat, & commiſſi ſceleris turpitudinem clara luce oſtendit: quid ageret, quo ſe verteret, neſcius, (nam Sacerdotem accedere pudor, dolórque prohibuit) diu dubius, id tandem conſilii capit; in genua ante DEI Parentis iconem provolvitur, deteſtatur crimen, & pœnitentis inter gemitus mentem illuſtrari rogat, quâ viâ ad gremium, è quo errore magno excidit, ſit redeundum. Ut diutiùs precibus inſtitit, ſenſit ſubito calore accendi animum; ante Rudolphi pedes pœnitentiam publicam acturus vetitum ad ſacram DEO ædem aditum iterum exoret; oravit, & obtinuit, tum ille ante aram genibus flexis confitetur crimen, ornatum omnem abjicit, æternùm templo addicit, Divæque virgini ſempiternam vovet caſtitatem: nunquid hoc Lemmerhay,

 ge-

generoſum factum Nobiliſſimi Alexii, ad quæ iſte.

En Juvenem! incautæ cui præceps ira juventæ
Virtutis ſternebat iter, jubet ire ſuperbas
Gemmiferi gangetis opes: procul abjicit omne
Quod decus à fulvo voluit geſtare metallo,
Ornamenta petens animi: ſint lilia vitæ
Candida, veſtis, ait, decet hanc pro paupere Chriſto,
Et pro commiſſo me crimine degere vitam.
Hactenus erravi, quoniam ſed cognitus error,
Alter ero, expertes vel ab umbra criminis annos
Traducam, cœlóque uni ſervire juvabit.

Sic cecinit, & quoniam ille, qui conſuetum litterarum penſum Camei videre eſt ſolitus, cubile ingreſſus; omnes vale dicto receſſerunt.

§. VII.
De Regno Abaſſiæ.

ERuditas, quas jam triduo continuarunt, delicias, cùm verbis fieri litterario in ludo non poſſit, ſcripto Profeſſori ſuo obtulerunt Rhetores, mirabatur is ardore repentino accenſos; quos aliunde, non, niſi ad optima ferri jam dudum noverat, publicè omnia, ut & alii æmulentur, legit. Dein, fateor, inquit, ingenio citiùs, quàm volucris alis poſſit, Aſiam integram pervolâſtis, verùm ne nimiâ gloriâ vani ſitis, candi-

didiſſimi Juvenes, vultus nigrore pingite, ut Africam quoque vobis adire liceat: advertit illicò, quo hæc dicta ſint animo, Florivallius ſenior, & Leottum interpellans, Africam quoque, ait, deſcriptam optaret moderator noſter: hic ùt muſſitantes advertit, digito ori impoſito ſilentium indicit: tum comiter ſe, pudore ſuffuſus,

Nam Juvenis magnum eſt, erubuiſſe decus.

Velut de crimine commiſſo maximo Leottus excuſat; verbo uno, inquiens, ad nova animati ſumus ſtudiorum prælia, Africam dabimus, ſi licet, & vitam in craſtinum boni ſuperi produxerint; ùt novum diſcipulorum fervorem advertit, bene eſt, ſubjungit.

Sed ſeparatum ſingulos premat jugum.

Florivallius cum lectiſſimo fratre Abaſſiam, Leottus Guineam, Danalus Monomotapam, Angelo-montius Feſſam, & Maroccum deſcribat: eligite ſocios, video enim plurimos hunc ad laborem ardentes: altum, auditis his, toto ludo ſilentium; deliberabant, ùt opinor, quos ſtudiorum comites legerent, hi verò, cui potiùs parti adhærerent. Vix enim tempus, quo à ſcholis vacatum, advenit, in quatuor ſelectiores Rhetores ſcindebantur ordines, hi Florivallios, alii Leottum, Danalum alii, An-

gelo-

gelo-montium multi ſunt ſecuti, invitati utique, ut, cùm minor Palladis labor urſerit, longiori inter ſe ſermone uterentur. Id ſcio Cingemihuſum cum Hacigero adlectis comitibus Rayepao, Seromo, & Huerao circa veſperam viam petiiſſe regiam, cujus propè finem urbem versùs amæniſſimus ſe offert Florivalliorum hortus, ubi:

Chloris odorato devecta per aëra curru
Sparſit humi varios, quocunque eſt lata, colores
Atque pedes, quocunque tulit, violæque, roſæque
Coriciíque croci, atque immortales Amaranthi
Surrexêre, olim nullis ſternenda pruinis
Turba, ſed æternùm primum geſtura vigorem.

Hìc excepêre perhumaniter hoſpites fratres ambo, atque major, ne moras trahamus, ait, (ſcio enim, quis huc vos egerit impetus) dum

Denſior umbra dabit placidam ſub fronde quietem.

De Abaſſia ſermonem inchoëmus; Abaſſia, reponit, Seromus, princeps eſt Africæ, princeps Maurorum regio, cujus ſeptuaginta duo ſupra ſexcentum milliaria circuitus complectitur, ùt in Balthaſare Tellez, & Emanuele Almeyda nuper legi, ſubjacet tropico cancri, diverſis in locis tam inſolitæ altitudinis, ut, ſi hæc ſpectetur, Italiæ Alpes viles colliculi videantur; ceterùm montes tam affabre à natura elaborati, velut

lut ars auxiliariam manum tuliſſet; jam turris, jam Mauſolæi inſtar, jam quadrati in aëra ſurgunt, jam, quaſi gradus forent, quibus ad verticem usque eluctari poſſent, viatoribus lapidea terga ſubſternunt: varii inſuper metalli feraces, foſſorum tamen defectu, & incolarum ruditate nunquam eruendi: ſulphureæ cavernæ plurimæ, quare mirum, non niſi unum, veſuvium reperiri; terra fertilis, ſæpius enim per annum magno cum fœnore ſeminatur; atque ita quidem; ut pars dextera ſemen ejicientes, ſiniſtra metentes habeat: ceræ, mellis, frugúmque in Italia aliàs naſci ſolitarum copia propemodùm infinita; par ferarum, domeſticorúmque animalium eſt: Nilus, Aſtabóra, & Aſtapus præcipui fluvii, qui duo poſtremi finito curſu ſe invicem velut amplexi in Nilum præcipitantur: audiit Nili nomen Florivallius junior, & amice, inquit, da veniam verbo, heu quot non ſunt! qui Nili Originem necdum inventam aſſerant: inveni tamen ego in Patre Petro Paëz, qui his in terris crucis trophæa ſtatuit. Nilus (verba illius ſunt) à Mauris Abajoa dictus, in regno Goyam prope Sabalàm oritur: hìc occidentem versùs latiſſima ſe pandit vallis, ad quam, dum Imperatorem ſecutus vigeſimâ primâ Aprilis anno ſæculi decimi ſeptimi octa-

octavo ſupra decimum delatus ſum; &, ne verbis aliorum deciperer, ipſe inveſtigare cepi; deveni tandem ad vallis altitudinem, ubi geminos non, nisì uno, & medio pede latos inveni fontes, & vidi tanta voluptate animi, quod Perſarum Regi Cyro, Cambyſi, Alexandro Macedoni, Julio Cæſari, etſi multùm deſiderarent, intueri non licuit: aqua eſt limpida, & ad potandum amæna, conati ſumus profunditatem menſurare, ſed fruſtrà, aſſerentibus accolis totum montem aquâ refertum, quod ex frequentibus terræ motibus probabant: ab his fontibus excurrit Nilus, & novas identidem aquas accipiens Africam, Aſiam, & Ægyptum pererrans Mediterraneo tandem mari abſorbetur. Hæc ille: verùm quoniam jam ſucceſſimus umbræ, & è Seromo ſitum Abaſſiæ intelleximus, date amici, quinam, vel quales ii ſint, qui has terras colunt, inquiebat Hueraus: tum Rayepaus: omnes nigerrimi, & veri Mauri, inculti, ſinè arte, ſinè ſcientia; veſtis ferina pellis, aut lana craſſa; caſas luteas ſinè lapide, ſinè calce poſitas ſtramine tegunt, dicentes, convenire, ut diſpar ſit ratio inter DEI ædem, & hominum, non ſellâ, non mensâ, ſed harum locò ſolo utúntur: crudâ veſcuntur bubulâ, in nobiliorum epulis aromatibus conſpersâ: plurimi

mi pagos, colles, aut ſylvas incolunt; civitates paucæ, nec munitæ, nec bene ædificatæ, quarum ea, quæ maxima eſt, circiter duo millia incolarum numerat: Primas regni ab Arabibus Anticlabaſſan, ab Africanis Nequez, à Mauris Pelgian, ab Europæis Prete Jan, id eſt ſacerdos Joannes dicitur: cur hoc? (interrogabat Hacigerus) ſinè cauſa, & fundamento, Cingemihuſus repoſuit, originem accipe; vivebat hìc quondam Chriſtianus Princeps, qui, ut ſe defenſorem fidei probaret, pacis tempore unam, belli verò duas ex adamantibus cruces ante pectus gerebat, hic aliàs Jonas dictus, ob pietatem Sacerdos Jonanus nuncupabatur, quare nomen hoc, ùt Cæſaris à Julio in reliquos Imperatores, in Reges Abaſſiæ eſt derivatum. Tum ſermonem continuavit Rayepaus, nullam is aulam conſtanter incolit, ſed jam hîc, jam alibi, decies etiam per annum variatis locis, ubi belli petunt diſcrimina, tentoria figit. Hæc de Rege mihi nota: finiit iſte, & Florivallius ſenior, religionem horum, ſi aures conceditis, addam: omnis hìc prope ſecta locum invenit: Judæi, Ethnici, Mahometani, hæretici diverſiſſimi generis, ſunt, qui ſe Chriſtianos dicunt, ſed heu quantùm non errant! credunt Chriſti præſentiam ſub ſpeciebus

panis, & vini, ſed Sacerdotes (non quidem re, aut hoc nomine digni, verùm tantùm à ſuis tales habiti) conſecrando falluntur dicentes: *hic panis eſt meum corpus*, *hic calix eſt meus ſanguis*: dum hoc epulum diſtribuunt, ad portam templi intonat Sacerdos: *Sacra caro Emmanuelis noſtri DEI*, *quam ſumpſit à noſtra Domina:* reſpondet populus, *Amen*, *Amen*, dein Diaconus, *hic eſt ſanguis JESU Chriſti ad ſalutem corporis*, *& animæ*, *& æternam vitam*: dictis his Sub Diaconus aquam porrigit, ut ora mundent, antequàm calicem ſumant: ceterùm ad aras faciunt nullum ritum, quem nos obſervantes. Adde quinque ab iis Sacramenta numerari, Baptiſmum ſcilicet, Pœnitentiam, Euchariſtiam, ordinem, & matrimonium: verùm, dum quemdam abluunt, *Ego te baptizo*, ajunt, *in nomine Sancti Spiritûs*, vel *in aqua Jordanis*, vel *DEUS te baptizet*; nemo ad pœnitentiam admittitur, nisì vigeſimum ſeptimum ætatis annum expleverit, quia credunt, usque ad dictum tempus hominem peccare non poſſe: Aſt ſint hæc barbara de gente ſatìs. Tu Huerae enarra, an factum aliquot illuſtre pueri his in regnis legiſti unquam? fateor, (repoſuit ille) nullum unquam legi, nullum audivi: nisì de Antonio Nunnez origine Luſitano, gloriosè pro fide mortem oppeten-

tente: adfuerat is ferali ſpectaculo, dum Chriſtianorum multi hæreticorum perfidiâ accuſati ad furcam educerentur; ille ab impoſtoribus his dudum jam deceptus Catholicus eſſe deſiit; verùm, ubi lætitiâ incedentes, milléque inter gaudia ſubeuntes mortem vidit Martyres, vi interna Divinæ gratiæ animatus, ut parem æmularetur fortitudinem: audite, audite, exclamat, omnes, quotquot hìc circumfuſi: Romana fides, ſola pura, ſola vera, ſola Sancta eſt: Alexandrina ſecta, cui miſer relicta veritate adhæſi, falſa, & temeraria, vos deceptores me ſeduxiſtis; deteſtor fatalem cænam, quam vobiscum ſumpſi, erravi, fateor, atque utinam amentiam meam fuſo poſſem delere ſanguine! me, me, rapite, morte juvat amiſſam fidem teſtari: ſermone hoc in furias actus populus rabidorum canum inſtar in innocentem omnes irruerant, eidémque furcæ, cui alios, laqueo collo inſerto affixerunt; finiit, & cùm nec ſibi, nec aliis quid auditu dignum occurreret, triſtiores non nihil ſermonem terminârunt.

§. VIII.
De Guinea, & parte ejus Regno Congo.

NEc defuit officio ſuo Leottus, Guineæ imperatæ memor; invitavit Fycoium, Melitum ab injuſtitiæ monte, & binos Herillos, quos omnes pietas, ſolertia, & præclari è Rhetorica profectus optimo juveni chariſſimos fecerunt: atque ut iter pulveribus aliàs, qui Viennæ calido tempore denſa nube imminent, infeſtum commodius faceret, curru ſubmiſſo ad amæna eos viridaria, quæ per æſtatem inhabitare ſolet, deduxit: hìc ſub limine hoſpites opperiens, ùt advenêre, comiter exceptos per ſubjectum hortum, eúmque amæniſſimum

Vernantes ſeu areolas gemmantibus herbis,
Seu Italæ fructus terræ, ſeu cetera ſpectes
Munera, quæ Pomona ſolo, vel Flora creavit.

Sua rogavit, conſcendant cubilia, in quibus ſitientes amygdalatio recreavit; tum Fycoius, veſpere utamur, liceátque nobis per te, lectiſſime juvenis in hortum redire, ubi occaſum ſpectando ſolis, optatúmque, dum lenè ludent favonii, captando frigus Guineæ ver enarrabimus: paruit is hoſpitibus, dúmque denuo deſcenſum, in atrium, liberio-


Congianer

RPJCB

beriori auræ expoſitum, quia altius, mediúmque ſcalarum obtinet, ùt jacentem hortum deſpiciat, diverterunt. Hìc ubi Melitus menſam vidit, quæ ad victoriam impulſis globis reportandam deſtinata eſt:

Interpone tuis, ajebat, gaudia curis,
 Non ſemper triſti mens gemat ægra malo.
Nam bene, quod vates, qui non durabile quidquam,
 Alternâ requie quod caret, eſſe canit.
Exſiccare ſolet labor, atque ſeneſcere vires,
 Si gravior juſto ſit, facit ante diem.

Mirè dein, brevitérque laudatis omnibus, ne moras diutiùs traheret; Guinea, inquit, Nigritarum regni à Nigri flumine dicti pars, Orientem versùs Tambutum, ad occidentem mare, ad meridiem Mellam, ad ſeptentrionem Gualatam attingit: ver hìc prope perpetuum: annus tamen ab incolis in hyemem, & æſtatem dividitur: illi menſes tres Aprilem, Majum, & Junium tribuunt; etſi enim his ſol verticem radiorum telis petat, nimii tamen calores imbre perpetuo, tonitruíſque nulla non die reſonantibus adeò mitigantur, ut frigoris plùs, quàm caloris tepidus aër contineat: arbores conſtanti virore animum, oculóſque paſcunt, ſúntque earum multæ, quæ bis annis ſingulis nova veſte, veteri perdita, virere incipiunt: dies cum nocte æquali ſemper ju-

re imperia partitur; nocturna enim ſol circa ſextam mane rumpit cubilia, quæ eâdem horâ circa veſperam repetit: pluviæ ſæpiſſimè rubræ, atque adeò noxiæ, ut veſtes madefactæ, nî magnâ curâ illicò tergantur, putreſcant; oleóque ſe ea de cauſa inungunt omnes, ne par malum corpori obtingat. Ferarum varia eſt, & magna copia: Elephanti maximi, qui vitam jubilæum ultra adjunctam ſæculo producunt: & quidem quò ſeniores, eò pulchriores, capiuntur eorum plurimi in foſſis, quas venatorum aſtus ramis inſternit, ut, dum in eas audaci greſſu nil metuens tanta moles irruit, præcipitetur, præcipitatam dein feram haſtis trucidant, caudam ad muſcas depellendas Regi offerunt, cutem verò ſellis inſternunt: tygrides, leopardi ferociâ leones ſuperant; formoſiores ceteroquin, & pulchrioribus variati maculis, quàm regionibus in aliis: id mirare, eos collecta ſæpe vi oppida, pagóſque invadere, obvia devaſtare, eâ tamen ratione habitâ, ut candidis ſemper, nunquam nigris parcant. Vix ſylvam ſubibis aliquam, & exercitus integros ſimiarum, & cercopithecorum invenies, quorum duplex genus eſt, unum familiare hominibus, alterum infeſtum, contra quod collecto ſæpe milite opus, ut illius inſultus depellantur:

tur: cúmque animalia hæc humanos ſoleant imitari mores, Maurorum invenies nemimem, cui feras eſſe perſuadebis, credunt ſiquidem homines diris devotos, qui, nî ob pertinaciam tacere vellent, tam bene, ac nos loqui poſſent. Serpentes viginti longi, quinque pedibus lati non raró viſuntur: referunt Hollandi, in quodam nemore ſibi lacertam veniſſe obviam, quæ viri craſſitiem ſex pedibus longa habebat, ſpectabat ea quarta circiter horæ parte tranſeuntes: dúmque ſpecum repetiit, tantum inter nemus edebat ſtrepitum, quantum arboreis cervus cornibus complexa inter arbuſta diſcurrens ede-re ſolet. Draconum hìc quoque genus eſt Elephantis inimicum; quorum carne veſcitur, coloris è cæruleo viridis longa proboſcide, dentibúsque acutiſſimis munitum centum crebrò pedes, & minimùm decem ulnas longitudine ſuperat, alis nihilominus tam expeditum, ut velociſſimè ſe in aëra vibrare, & avibus volatu concertare noverit. Ceterùm nec deſunt ea, quæ apud nos, animalia, pullorum, perdicum, gallorum, quorum è Phaſide nomen, copia propemodum infinita. Finiit, & Fycoius, feras attuliſti, adferam, ſi licet, homines: Guinei colore nigri, non tamen adeò inculti, ùt reliqua Æthiopum gens: albiſſimos dentes Eboris

inſtar nulla non die fricant, robuſti, & bene ordinati corpore, munditiem præprimìs amant, perſpicaces ingenio; nam vix viſo artis opere, æmulantur illicò, inventis meliora addere à natura edocti: ornamentis ſtudent veſtium, criſpare crines, variéque inflectere pro cujusvis libitu ſolent: hic in crucis, alter in ſemilunæ formam; alius erectos, fluentes alius capillos gerit; ità quidem, ut vix inter quinquaginta tres invenies, quibus æqualis verticis forma eſſet. Collum, manus, genua rubris corollis, humeri aureis catenis, totum corpus colorato ſtramine ornatur: exeuntes in neminem defigunt oculos, torvo vultu, & ſuperbo greſſu incedentes: cibis nobiles nobiſcum communibus utuntur, plebs verò inteſtina gallinarum, eáque cruda, & adhuc calentia in deliciis habet: adeò voraces ſunt, ut, licèt cibis ingurgitentur, ſe ſatiari poſſe non credant, certatur patinis, quíque prior irruit, triumphum reportat. Potum ſuccus palmarum dat, cujus ex una inciſa arbore duas menſuras diebus ſingulis acquirunt: dicitur is ab incolis Mignolus, criſii coloris, ſapidus, & generoſus adeò, ut facilè inebrientur: domus viles, & vigiliarum domunculis non abſimiles, cubilia tam demiſſa, ut nemo inter ea corpus valeat erigere, incolunt, ne

tamen

tamen intrantibus, aut exeuntibus nimiæ cauſentur moleſtiæ, tectum utraque ex parte perfringunt. Ad quæ Leottus: amici illuſtrium juvenum nolim vos hodie oblivisci. Congo inferioris Guineæ provincia Alphonſum nacta eſt non tam coronæ Regiæ hæredem juvenem, quàm ſuum in orthodoxa fide Magiſtrum: vix Parens Joannis nomen, mater Eleonoræ ſacro in fonte acceperat, hic illicò ad Chriſti vexillum advolavit, ſecúmque multorum Aulicorum turbam præſentis, futuríque Principis exemplo animatam perduxit: non eadem erat, quæ filii, Parentis conſtantia; nutare enim in ſuſcepta fide, & velut intolerabile Chriſti jugum denuò excutere prope jam decrevit: carere plurium fæminarum uſu homini in alios dominanti, ſui ſervo res viſa eſt minimè ferenda: acceſſit malo huic obſtinatus in erroribus Panſi Aquitimi junioris filii animus, qui, ùt in utramque partem vacillantem Patrem advertit: dolo, fraudéque inſtitit, ad rejectum idolorum cultum genitorem perducere, totóque regno Chriſti nomen exturbare: contrà Alphonſus altioris animi firmare Chriſtianos, jusjurandum, identidem repetere, quo malò dæmoni valedixiſſent, rogare, ne pro tanto à ſupremo Numine obtento beneficio unquam in-

grati fierent. Quid non egit alaſtor ſtygius? Panſum ſcelerum architectum, & machinatorem animat, confictis ſaltem fabulis Alphonſum ſolio, regno, & vitâ exuat: quare irâ, libidine, ambitione effrænatus puer Joannem accedit: Heus (inquit) amate genitor! cauſa regni noſtri ſuprema agitur: frater magicas artes ab advenis edoctus aliquot jam ſiccabat flumina, emoriuntur fructus, jam cum fame nobis dimicandum, quid, quæſo, non mali timeamus? cùm indies præſtigias augeat, & florentiſſimo imperio interitum minitetur; hujus rei, addit, multos teſtes habeo, qui ſe non opinari, ſed ſcire, non audiviſſe, ſed vidiſſe, non interfuiſſe, ſed coactos eſſe, ut idem agerent, dicunt. Malè credulus Parens auditis his eum in furorem exarſit, ut ſinè ſpe reditûs optimum Juvenem ad extremas Congi oras ablegaverit triſtem ibi vitam in exilio acturum. Verùm premi quidem, non opprimi virtus poteſt: altiori numine inſtigati Aulici innocentem defendere, fraudes Panſi detegere, eóque inflectere Regis animum, ut edicti pœniteret, Petrum, qui teſtimonium ſceleri tribuebat, capite plecteret, revocaret filium, regníque hæredem denuò declararet. Ut vigilem pro ſe DEI curam Alphonſus advertit, majori adhuc,

quàm

quàm antehac fervore Chriſtianam rem agere cepit, monitus ſæpe à Parente, æſtum nimium temperaret, & in aulam ad ſe rediret, induci nunquam potuit, ut DEI mandatum Parentis imperiis poſthaberet. Finem tandem periculis præmatura parentis mors impoſuit: verùm finis non dici potuit, majora enim reſtabant ſuperanda diſcrimina, ut perfecta triumphi gloria adornaretur: Alphonſus parente defuncto Rex ſalutatur, quo audito Panſus magìs furere, exercitum colligere, & cum multis millibus improviſus ante urbis mænia Fratri bellum intonare: hic nîl territus, quamvìs nullos, præter triginta ſex numeraret milites, animata puſilla manu, in DEI opem confidat, ad pugnam procedit, ſternit hoſtiles copias, & nemine ſuorum deſiderato in fugam cogit: Panſus feræ inſtar errabundus, ùt Cainus alter ſylvas quærit, amens dein in foſſam capiendis feris deſtinatam incidit, ab inſequentibus deprehenditur, extrahitur, & in urbem, & carcerem abducitur, in quo ille partim è vulnere, quod lapſu impreſſerat, partim verò, magíſque ex ira turpem animam evomuit. Tum Herillus junior.

Heu nimiùm verum! rara eſt concordia Fratrum:
Deteſtata diu ſcelus hoc retro-acta fuêre
Secula, quod nullæ poterant ſufferre medelæ.

 Semi-

Semina prima Patris noſtri, ſpes totius orbis,
Nobile par Fratrum nunquid tu dixeris? alter
Nî fuſo alterius fœdâſſet ſanguine nomen.
Forſan ubi Iſmaël Agar de ſanguine natus
Progeniem Saræ dilectum Abrahamita vidit,
Obſtupuit, patriíſque procul diſcedere tectis,
Et lugubre parabat iter: quis cladibus orbem
Cadmæis gemuiſſe neget? quis mœnia Romæ,
Cujus fraterno maduerunt ſanguine muri,
Aſpicit? & merito non ſolvit pectora luctu.

Sed quid fruſtrà (ſermonem interrupit frater? nunquid & nos conjunctiſſimi ſumus; militare tu nactus, ego mite ingenium, procul tamen uterque omni à jurgio, Congianos me ſine, cùm de iis ſermo inciderit, non nihil deſcribere: celebris hæc eſt regio (nam & nos equos gyrare novimus) à marinis equis, qui tantæ fortitudinis eſſe perhibentur, ut aut pedibus, aut dentibus onerarias naves in fundum mergant, majus adhuc damnum homini, aut pecori mari emiſſi inferant: crocodilli hic quoque (infame animalium genus) copioſiſſimi; pari numero piſcis reperitur, qui ab incolis Ambize Angalo, aliàs porcus marinus dicitur, utpote ſabellico ſimilis, & quingentarum crebriùs librarum; hic nemini, niſî Regi (morte aliàs furtum luendum) affertur. Magnam ſui admirationem parit arbor Enſanda, inſolitæ magnitudinis,

cujus

cujus rami, velut capillis tecti, ſi his terram attingunt, radices novas figunt, & in novam prolem excreſcunt, ea velocitate, ut nî reſecentur continuò, brevi temporis intervallo (ùt Jaricus ſcribit) integra regna arbor una fruticibus ſemper novis enatis impleret. Aliquid mirare, in inſula Loanda Sirenes, non quidem, quas Poëtarum ſomniârunt ingenia, ſed veros piſces, homini ſuprema corporis parte ſimiles reperiri. Negant id multi, & velut, aniles fabulas, quæ de his audiunt, explodunt: quaſi omne illud, quod nunquam viderant, impoſſibile quoque eſſet. Teſtatur tamen id luculenter Pater Franciſcus Sacchinus in hiſtoria Societatis JESU p. 2. L. 4. n. 276. Manaria in inſula (inquit ille) obambulabat littus ſermones cum Dima Luſitanorum medico varios inſtituens Pater Henricus Henricius: cùm ecce improviſi adſunt piſcatores, rogantes, prædam recèns captam contemplentur; ſequuntur hi, & mirum! ſedecim reliquos inter piſces marinos conſpexêre homines: caput his amænum, & rotundum, oculi cum ſuperciliis, rubra labia, æquales, & candidiſſimi dentes, explicatum, & album pectus, rotunda, magìs tamen lata, & ad natandum aptiora brachia erant, corpus tandem in duas velut ſciſſa partes caudâ termina-

minatum: & potuit uterque diſcerni ſexus, novem enim fœminei, ſeptem maſculini erant: ad quæ Leottus mira narras, atque his puto jam eſſe de Guinea ſatìs: nunc, ſi placet, globos menſis injiciemus; aſſenſêre alii luſum labori interponentes.

§. IX.
De Regno Monomotapæ.

PAri induſtria, ſi non majori, demandatum ſibi munus executus eſt Danalus: vocavit is laboris ſocios Magintaum ab integerrimis moribus, & felicitate ingenii celebrem Rhetorem, Franciſcum, & Vitum, fratres, quos pietas, & matura rebus in omnibus indoles illuſtres fecit; atque, ùt ſtatuto tempore convenêre: veloces ſimus, inquit, hodie properandum eſt; Monomotapa deſcribenda, quæ ad ſeptingenta milliaria usque ad Promontorium bonæ ſpei extenditur. Ergo bene ſperemus (Magintaus interpoſuit) periculum enim erit, ne hæreamus, cùm pice nigriores ſint incolæ; cavete, ne menſuretis corpora, triplici enim ſcabello opus eſt, ut verticem horum extenſis ſumma vi brachiis attingamus: aliud, Vitus, inquit, magìs metuendum, ne auri nobis illudat cupiditas, hoc enim

enim in regno non foſſorum eruitur malleis; ſed in amænis rivulis,

Quos neque paſtores, neque paſtæ in monte capellæ
Contigerant, aliúdve pecus: quos nulla volucris,
Nec fera turbârat, nec lapſus ab arbore ramus.

Sponte defluit, & nîl tale ſperantes ſuas ad prædas invitat: ſunt, qui aſſerunt, Monomotapam celebratam ſacris in literis eſſe Ophir, è quo Rex Salomon aurum omne, ad orbis ſummum prodigium, Hieroſolymitanum templum ædificandum deſumpſit. Non dubita dilecte frater (repoſuit Franciſcus) Thomas enim Lopez in ſuo itinere Indico luculentum exhibet teſtimonium. Aſſeruêre, ait, mihi incolæ, ſuis in vetuſtis voluminibus claram hujus mentionem fieri: vidíque rudera palatiorum, quæ exſtruere cum æthiopibus non aſſuetum ſit, argumentum deſumpſi, alias hìc olim gentes fuiſſe verſatas. Properamus jam (ſubjungit Danalus) interim amici herbam, ſi placet, Nicotianam ſumite, ſumerem (ſuaviter ſubriſit Magintaus) ſed pyxis diſplicet, ex ebore tibi Monomotapa dabit; tanta enim hìc elephantorum copia, ut annis ſingulis quinque millia ſternantur, eorúmque dentes toto peregrinentur orbe; Ad hæc Vitus: miror mi Magintae, quod Monomotapa eſſe velis, timidior enim non nihil

nihil videris: homines ſunt barbari, & ad arma nati, non viri ſolùm, ſed & fœminæ; Amazones profectò, nam & dexterum uber prima in ætate, ut commodiùs tela ejiciant, ſibi exurunt; ad bella ſequuntur viros, non ſarcinis, ſed armis onuſtæ, pugnant ſtrenuè, & plùs (nam ſinè mente mulier dimicat) quàm maſculum genus, hoſti formidandæ. Sed fortè (ſubjecit Danalus) Magintaus Rex eſſe vellet, hic enim geminas fert ſagittas, unam, ut inobedientes, alteram, ut hoſtes terreat; Ad quæ iſte: minimè ſanè, ſi enim Nicotianam tuam, quam obtuleras, ſumerem, ſternuerem utique; mos autem his in regnis eſt, dum Rex ſternuit, incondito clamore Aulici præſentes ſalutem precantur, audientes ad portam vigiles elata voce eandem repetunt, poſt hos proximi alii, tandem tota civitas multorum millium ſtentorum clamore inſonat: nunquid ſi hoc fieret, unâ aufugeremus putantes, Viennæ tecta Vulcanum oberrare: cachinnabatur adhæc Danalus, & ſeu riſus memoriam excuſſerit, ſeu omninò nil aliud fuerit, de gentium horum ritibus ceſſarunt. Vix ea diſſeruêre, cùm ſuperveniens Angelo-montius omnem de Monomotapa ſermonem turbavit: ille de Feſſa, & Marocco ſolicitus cum Lenico, & Leraneo ad Danalum

lum properabat: eamus, inquiens, & Danali ſermonibus immiſceamus noſtros: Africani enim ſumus; non excludent utique ſtudiis hodie conjunctos populares ſuos. Dixit, & ad amici domum celer cum ſociis advolat: portáque reclusâ inopinus adeſt, tum: juſſo jam, ùt video, inſudatis labori, amici, ait, vultis, & meam quoque Feſſam, & Maroccum enarrabo: ſuaviſſimum Juvenem, quem aliunde virtus Rhetoricæ toti amabilem reddidit, comitate omni excepêre; dein conſidere rogatus felici è memoria, nuper à ſe lecta, repetebat.

§. X.

De Regno Fez, & Marocco.

BArbaria, ſeu optima pars Africæ, quæ ab Ægypto ad Gaditanum mare extenſa, Mediterraneo, & Atlante monte clauditur, principem regni ſui locum Feſſæ, & Marocco cedit. Prima paſcuis, cerâ, frugibus, vino, & oleo abundat, à Metropoli nomen ſortita, quæ cor regni media tenet: refertur autem nomen hoc urbi inditum ab Arabico Fez, quod idem, ac aurum rude ſignificat, quale primis ejus ſub fundamentis inventum. Xyſti marmoreis fulti columnis, & ſilice inſtrati dividunt cubilia, quæ

grato

grato ſemper ſpectaculo, in turrim coëunt: palatiorum (eſt enim quælibet hoc nomine digna domus) ſexaginta millia Boterus de origine urbium L. 2. c. 11. numerat: templa hìc (ſeu ùt Afri ajunt, Misquitæ) ſeptingenta ſunt, quingenta horum omni arte, & pretio inſtructa: primum Carauwe dictum medíum milliare circuitu complectitur triginta portis apertum, in quo nocte omni nongentæ lampades accenduntur: certis item diebus plures, aliquot enim coronæ è cupro fabricatæ de fornice pendent ea mole, & magnitudine; ut earum quælibet quingenteſima ſupra mille lampade ſit onuſta; Propè fanum hoc, Mahometi ſacrum, collegia duo, in quorum uno arti medicæ, in altero juri diſcipuli dant operam, viſuntur: narrant quoddam ex his à Rege Haba Henon centum, & octuaginta millibus ex auro coronatorum ædificatum: cujus dum pretium annotatum erat, mari librum injecit dicto: quod bonum, & amænum eſt, parvi vænit. Hæc ego de Feſſa, tu de Marocco diſſere dilecte Lenice, obſecundavit hic, &, Regnum Marocco, ait, vicinum Feſſæ, intra montem, & mare Atlanticum triangulum efformat. Terra frugum, pecorúmque ferax. Princeps quoque ceterarum urbium teſte Leone Africano totius

orbis

orbis princeps dici meretur, ex albo lapide ſectis viginti, & quatuor portis ultra centum millia domuum præter innumera templa, ſcholas, balnea, hoſpitia claudit, altiſſimíſque triumphat turribus. Quid ſcholas numeras? (interpoſuit Magintaus) barbara enim gens nunquid etiam doctrinam eſt exoſa? falleris, reſpondit Leraneus: nunquid enim celeberrimi Medici, & Philoſophi à Marocci Rege ſummo in honore habiti Avicenna, Albumazar, Razis, & Averoës his in regnis nati doctrinæ ſuæ monumenta reliquerunt? habitâſſe olim diceres hìc Palladem, verùm jam exulare, maxima enim nunc ars non homines, in arena litteraria exercere, ſed equos in domituram rotare; Barbaros dicis, & bene ais, nam, ſeu victûs, ſeu veſtium rationem, ſeu religionem quæras, tales invenies. Cercopithecorum carne veſcuntur, caprina, aut alterius animalis pelle induuntur, Deos, ſolem, & lunam adorant. Bene mones (Angelomontius verba interrupit) mirum enim quid de eorum legi funeribus: ùt vitâ quis defungitur, adſunt fœminæ, & abjecto muliebri amictu piloſa ſe veſte induunt, vultum dein integrum fumo ollis adhærente pingunt, tum viri depoſitis fœminarum togis veſtiti, latitantes hactenus progrediun-

 tur,

tur, pulſant tympana, & lugubre quid accinunt, laudes defuncti identidem immiſcentes: tandem, ut dolorem, & luctum teſtentur uberiùs, genas unguibus lacerant: ſeptem dies idem repetitur, quadraginta dein ceſſatur, reaſſumitur iterum triduo, poſt quod cadaver terræ mandatur. Fortè hìc etiam (quæſivit Danalus) poëtarum exigitur officium: ſcio enim horum genus his in terris celeberrimum, qui die Mahometi ſacra magnâ conveniunt copiâ, carmina tota die ad raucedinem ejulantes; qui plurimùm tandem placuit, finito, an litterario certamine, an potiùs incondito dicam clamore? lauro poëticâ donatur. Ad quæ Angelo-montius, vix crederem, videntur enim ſolis deſtinati deliciis, nam ad epulas quasque regias metra fundere jubentur. Tum Danalus: ſatìs judico de utroque regno ſermonis habitum; Mametis enim Celebi Tunetani Regis filii obliviſci hodie nullatenus poſſum: is magno à teneris (tacitâ Divini Spiritûs gratiâ impellente animum) affactu in captivos Chriſti fideles ferebatur: familiariter horum ſæpe alloquio uſus, eorum præcipuè, qui fidei noſtræ dogmata præ ceteris callere ſunt viſi: quærebat ex his, quænam regnandi Principes inter Catholicos ratio, quæ pietatis opera, quis tem-

templorum nitor, quæ ceremoniæ: placuêre omnia, dúmque hanc unam ad ſalutem viam ſupereſſe & audiit, & agnovit, cogitavit illicò de mediis ad eam ſecurè perveniendi; præerat quidem claſſi Chriſtiano nomini infenſæ, verùm non vincere, ſed captivus fieri optavit. Erat eo tempore Siculus quidam Joſephus Barlotta Tunis, qui deterritus carcere Mahometanam ſectam amplecti ſe finxerat: advertit hoc Princeps, diúque animum ejus experiri laborat; verùm omnia periculis pleniſſima viſa ſunt Barlottæ, donec tandem fide toties regia interpoſita, quod tacitus corde preſſerat, Mameti aperuerit. Ergò de fuga captum conſilium: in qua brevì Divina providentia itineris comites junxit: invitatus Princeps ad ſpectacula à Chriſtianis mancipiis exhibenda, comparuit, ubi inter captivos Donatum Sancti Auguſtini Eremitarum Ordinis Sacerdotem, & Joannem Pelerinum Hiſpanum, in quorum vultu virtutem legerat, conſpicit: accedit propiùs, comitérque ſalutatis mentem aperit rogat, ſocios adlectis, qui eadem ſervitute premerentur, aliis in ſuſcepto agant opere: conſentiunt hi, atque ille hos omnes ſua ad ſervitia vocat. Decima quarta Februarii, qua exequerentur Conſilium, dies ſtatuitur: ſimu-

lat iter Goletam verſùs (ad maris littora eſt præſidium, deliciis, quæ Regum curis interponi ſolent, deſtinatum) prænuncios mittit, Gubernatori urbis adventum ejus ſignificent, ſimúlque ſeverè prohibeant, ne aliquo eum ſigno proderet; hic modeſtiæ id mandatum eſſe Principis judicans, ùt advenientem vidit, æneas jubet explodi fiſtulas, & ſalutem undique intonari: indignatus eapropter Mamet, ſinè mora vela vertit Tunos rediturus: doluit hìc Principis juſſa violata Gubernator, ſibi parcat, rogat, séque fore poſthac obedientiorem per delegatos ſpondet. Differre jam fugam tantisper placuit, ne ſecundum iter magìs ſuſpectum, ac primum foret: interim à Rege imperator totius Tunetanæ claſſis, communes inter populi acclamationes declaratur. Nîl motus honoribus, qui ſervire Chriſto voluit, in quærenda ſalute manſit conſtantiſſimus. Ergo die quarta Martii ſummo mane cum prædictis ſociis iter Carthagenam verſùs aggreditur, ſiniſtro hinc repulſus Borea, alto devectus Melitam petebat, quâ, quia deficiente vento portum ingredi non potuit, denuò deſertâ, per Siciliæ ſinus errando Mazaræ littora ſexta die prædicti menſis felix tenuit. Incredibile eſt, qua honoris teſtificatione, quibus gaudiis Princeps

ceps exceptus, fidem edoctus, ſacróque fonte ablutus fuerit: ferunt autem amiſſo filio eo furore correptum Parentem, ut religioſos omnes Tunis degentes manciparet carceri, Chriſtianis mancipiis pœnas cumularet, cuſtodes aulæ cruci affigeret; ſocrum, quaſi fuge Conſilium dediſſet, accuſatam laqueo collo inſerto ſuffocari, tréſque alios qui complices viſi ignitis forcipibus diſcerpi, corpora in mare mergi, & ad littus ventura canibus objici juberet. Simile quoque illuſtre facinus de alio hærede Regni Feſſæ, & Marocci Principe legi: nomen huic, dum Mahometis jugum gereret, Muley Mahomet Atafi Serif, poſteà, dum ſacris in undis ſalutem recepit, & Societati JESU, quondam Divini verbi præco his in regnis futurus, adſcriptus, Balthaſar Loyola Mendez dictus: Juvenis egregiis à natura dotibus inſtructus, præter diverſas tredecim, quas callebat, linguas, quarúmque idiomate, quàm dexterrimè uti potuit, ſedecim de variis ſcientiarum generibus ſcripſit volumina, in Mahometis ſecta ità verſatus, ut nemo Doctorum cum eo congredi, nî plurimorum ignorantiam proderet, unquam ſit auſus: Sociabat artibus optimis belli peritiam, ea dexteritate enſem, quâ calamum verſare, regnum libris erudire,

armis defendere, ingenio, & conſiliis ſtabilire doctus: quare ſocium imperii adlegit Parens. Obſtinatus interim in Mahometis, erroribus, quos tales non viderat, à religione, & pietate primas quoque mereri ſummè ſtudebat: Meccam proinde, ut Prophetæ ſuo litaret, iter inſtituit; ſed en vigilem Divinæ clementiæ oculum! per iter à Melitenſibus capitur, Melitam captivus abducitur, ignotus adhuc quis eſſet, comiter tamen, nam altum animum ſat tegere non potuit, ibidem excipitur. Anxius ille de Mecca ſua, à Parente, qui de infortunio certior factus, magna pecuniæ vi ſubmiſſa ex hoſtium liberatur manibus; interim, dum Melitæ morabatur, eâ verborum efficaciâ Mahometem prædicare cepit, velut omnes Equites ſua ad caſtra abducturus. Incepêre tamen placere non nihil Chriſtianorum mores, templa, & religio, eósque animo aculeos infixerant, ut jam dubium de veritate facerent Principem: abiit tamen, ut iter tantisper interruptum continuaret. Verùm ô comprehendi neſciam Providentiam DEI! vix tria confecit milliaria: extra ſe rapto (cùm amæna ceteroquin aëris eſſet temperies) cœlum commoveri, totum mare in ardentem rogum mutari, navíſque jamjam abſorberi videbatur: tandem, ùt olim

olim Saulus Chriſti nominis perſecutor acerrimus in Paulum gentium Doctorem mutatus, clariſſimam vocem cœlo delapſam audiit. Perge, me Chriſtum indue, ſervus tu meus eris, eróque tui protector. Quibus verbis velut gravi ſopore excitus vela verti jubet, magnum eſſe negotium Melitæ omiſſum prætendens: paret Nauclerus, ille, ùt ad portum venit, ad templum Chriſtianorum properat, in quo antę iconem DEI Parentis genibus flexis duabus horis immotus hæret: ſacras dein undas ſumma contentione expetit, quid ſibi contigerit, ex ordine narrat, famulos remittit, Parenti nuntient, Filium eſſe Chriſtianum; tandem Patribus Societatis JESU traditus fidei rudimenta uberiùs edidicit. Probè jam eruditus dum ſacram ablutionem accepit, Balthaſaris Mendez nomine, tanti ſcilicet beneficii authoris, qui primus eum captivum duxerat, appellari voluit; Meſſinam dein in Siciliam delatus rejecto regni jure ſocietatem ejus, qui ſe ad fidem vocavit, eſt amplexus. Placuit omnibus factum iſtud, adeóque attonitos reddidit, ut ſermonem tandem de Africa in alium verterint.

§. XI.

De America.

DUm alii deſcribendæ Africæ inſudabant, Americam non imperato quidem, ſed ſpontaneo labore aſſumpſit Sengemenius; hic enim in Zilherdacum, & Zirſum incidens, quid ſi, inquit, ea de orbis parte, quæ ceteris tribus magnitudine non cedit, novus orbis communi nomine dictâ, nos quoque aliquid differeremus: teſtantur enim ii, qui navigando ejus menſurârunt circuitum, ſe triginta duo millia milliarium confeciſſe: inventa primùm à Chriſtophoro Columbo, celeberrimo illo Genuenſi eſt, dein ab Americo Veſputio patriâ Florentino, qui ſeptentrionalem ejus partem primus reperit, nomen ſortita: Ad quæ Zilherdacus: optimum ſanè tuum, amice, eſt inſtitutum; ſeu enim Peru, Paraquariam, Braſiliam, ſeu Floridam, Canadam, Mexicum, aut Maragnan tacitus mecum perpendo, & naturæ prodigia, & miri hominum mores obverſantur animo: En interpoſuit Zirſus, regna tibi hujus probè nota, de ſingulis agamus aliquid, & quoniam nullo gravamur labore ſcholaſtico, ab urbe vertamus pedem, dulci hoc ſermone tem-


Ein Paraquar

RPJCB

tempus hodie perdituri : aſſensêre omnes , & primam ſibi eruditionis gloriam vendicaturus; Peru, inquit Sengemenius , quod longitudine ſexcenta,latitudine quinquaginta Belgica milliaria, quorum ſingula pedes mille, & quingentos continent, complectitur, in Quitum , Limam , & Charcam , ſeu La Platam diviſum jure quodam Principem petit Americæ locum : fluviis tribus, iisque maximis alluitur ; Amazonum ſcilicet, Maragnone Nilo (nam & accreſcit, & decreſcit) ſimillimo , & Januario, qui ligna in ſaxa convertit: Animalia mira hìc invenies , ſæpe enim ſereno ſole ex aëre ſerpentes decidunt , unius ſpitamæ , armati dentibus , ſinè oculis, veneni tamen noxii, ut eo læſus arte nulla ſanari poſſit : avis cinericii coloris picæ ceteroquin ſimilis tubæ ſonitum voce imitatur. Sunt & Atalanques (id eſt ſinè capite) ſpectra hominum, hominibus infeſti ignem collo ejicientes , nulli tamen, qui ſacro fonte ablutus eſt, noxii : montes (Vulcani crede cavernas) plurimi, non minùs ac Siciliæ Ætna, aut Neapoli Veſuvius metuendi. Tritici ſolum ferax, nam centeſimo , quin & tercenteſimo fœnore ſemina reddit: quod mirere, cùm pluviis nunquam , nebulis ſolùm, roréque tenui non, nisì fine Aprilis,

& Octobris initio, deciduis rigetur. In regno Chili, quidquid terræ mandaveris, uberrimis incrementis auctum recipies, quin, & uvæ grana ſeminata vineas reddent. Inca Garcilaſſo de la Vega Peruanorum Regum oriundus ſanguine, qui patriæ ſuæ prodigia in Hiſpaniam delatus ſcripſerat, ſe raphanum vidiſſe duarum ulnarum teſtatur, cujus folia quinque equos obumbrabant. Eſt & planta, teſte Monarde in hiſtoria Indica, quam ſi ægrotus manu preſſerit, lætitiámque, invitam licèt, monſtraverit, convaleſcet, ſecus die poſtera certò certiùs moriturus. Flos lilio ſimilis, ter tamen altior, noctis tempore apertus ultra quinquaginta paſſus amœniſſimum odorem emittit: alter in valle Truxilli ex una caudice viginti, quin & triginta ſæpiùs diverſa pignora protrudit. In provincia de Las Charcas arbor eſt altiſſima, cujus fructus multis foliis in libri modum clauditur, quæ ſi aperies, quolibet in folio cor cum crucis ſigno expreſſum cernes. In monte Chachapoyas rami, è quadam arbore truncati eam dant lucem, ad quam legere, aut ſcribere licebit. Mala quindecim milliaribus Limâ diſtans ficum habet, cujus pars ad meridiem versùs ſanitatem, altera mortem cauſat: aurum, & argentum in tanta Copia, ut, quod

quod Poſſidonius de Hiſpania, meliori jure de Peru dicerem, Plutonis hìc aulam infra terram eſſe : verùm ut & de hominibus addam aliquid; curſu ſunt velociſſimi, naturâ barbari, immiſericordes, ingrati, timidi, laborémque omnem exoſi, ad quem nî vi adigantur, vitam integram otiando, & helluando conſumerent : ſi quod tamen opus aggrediuntur, ea dexteritate doctrinam excipiunt, ut ad artes, & ſcientias nati videantur, legendo, ſcribendo, canendo, pingendo, nulli cedunt in Europa nato. Sat jam de Peru optime Sengimeni (interpoſuit Zirfus) nos erudiiſti :

Paraquariam audi, hæc aëris ſaluberrimi, amæna, & frugifera regio eſt, vino, & tritico dives, quamquam comune vulgus fare ex herbis contrito panem conficiat: armentorum greges innumeri, ísque pecoris erit Dominus, qui ei laqueum injecerit: Equus, utut optimus uno, alteróve floreno venditur; qui non, nisì decem, aut duodecim millia jumentorum numerat, non adeò locuples cenſetur. Præter animalia domeſtica homini ſimiles Fabiani dantur, qui ſagittâ læſi incondito clamore, ſtridoréque dentium vi telum è vulnere extrahunt, & ſumma cum rabie in ſagittarium rejiciunt; maculis bellè variatæ tygrides, leones itidem multi, ſerpen-

tes

tes tantæ magnitudinis, ut cervum ingentem unà cum cornibus faucibus arreptum vivum in ſtomachum trajiciant. Crocodilli octo, aut novem pedum longi, tam noxii, quàm formidabiles: hìc quoque chamæleon aperto ore ventum excipiens, ſolâque aurâ victitans patriam invenit. Incolæ ſeduli, & præprimìs labori addicti, viri arant, & ſemen ejiciunt, fæminæ metunt; eorum tamen Principes (Matarini dicti) nulla non die helluantur: quam ut defendant turpitudinem, id majorum ſuorum manium ſummo bono fieri aſſerunt: quare funebres has epulas ſæpe per annum celebrant, præter alia fercula tot, quot defunctos numerant, aſſa ſtruthionum corpora hoſpitibus apponentes, crudelis tamen plerumque finis epulis imponitur: ſiquidem caput ſecuri ſubjicere puellarum pulcherrima jubetur, quod calido ſanguine madens ſpectaculi locò adfertur. Abipones pudoris omnis immemores æſtatis tempore nudi incedunt, pingunt tamen, tygridum maculis corpora; caput raſum, nares, aures, labia ſtruthionum pennis perforata mirum, eorum judicio, eſt ornamentum, qui aculeis, velut cribrum, ſe totum terebrari, cutem dein detrahi ſinè dato doloris ſigno patitur, propè Deorum cultu adoratur; Fæminæ vultui,

pecto-

pectori, & humeris aperta pelle gemmas imponunt. Nulla mater præter duas proles educat, reliquas ſuffocat, aut ſubmergit. Anno ſæculi decimi ſeptimi vigeſimo ſeptimo reperti ſunt adhuc aliqui, qui filios aſſatos devorabant: verùm, ut primùm fidei lux Paraquariam illuſtraverat, mites ſunt redditi, barbarámque vitam depoſuerunt: hæc de regno hoc aut legi, aut audivi. Braſiliam, rogo, Zilherdace deſcribe: tum iſte: hæc, teſte Maffeo, duobus gradibus ab æquatore diſtat, & à ſeptentrione ad meridiem in formam trigoni extenditur. Sacchari copia maxima, qui ſuccus è cannis extractus, in olla dein elixus, in metam, in qua videmus, cogitur. Præter Melo-pepones, cucumeres, ficus, balauſtia (vulgò mala granata) poma citrea, nuces caſtaneæ, pyráque gratiſſimi ſaporis inveniuntur: balſama certis herbis expreſſa vulnera ſanant, ſolicitè ab ipſis animantibus quæri ſolita, ſi venenato morſu fuerint læſa: cedri proceræ adeò, ut unius è cortice navim ſcindant, quinquaginta hominum capacem. Animalia, volucres, piſces, ùt varii, ità copioſi. Cotias dictum, rubri coloris, minutis auribus, ceterùm, velut etiam ſapore, lepori eſt ſimile: par illi eſt Pacas, quod animal ex albo fuſci coloris, carnis eſt ſapidiſſimæ,

ſimæ, capite catum repræſentat: magìs mira Tatuſia, ab Hiſpanis Armadillo nuncupata, porcellum magnitudine æquans, ſquammeo velut thorace cataphracta, ſub quo teſtudinis inſtar caput contrahens ſagittas illæſa accipit; brevis ceterà pedibus, regulorum in morem ſuffoſſam terram incolit. Superat hanc (ſi naturæ quæris miracula?) Cerigona vulpi ſimilis, quæ inferiori corpore utraque ex parte à natura conceſſum ſaccum gerit, cui natos includit, ne abſente Matre periculo ſint obnoxii. Turpis eſt Pareſſa (vox hæc Acediam dicit) quæ abominando roſtro, protenſis unguibus, cana, ſinè auribus, rotundo capite nec minis, nec verbere impelli poteſt, ut diebus quindecim ultra lapidis jactum progrediatur; nutritur hæc foliis arborum, verùm antequàm harum unam conſcendat, biduo eget, tantundem temporis deſcendens perditura. Tamandoa porci magnitudine, velut unicornis caudâ terga protegit, formicis veſcitur, quas pede turbatas extenſæ linguæ injuriam vindicaturas pleno agmine irruentes deglutit. Antes à mulis nîl, nisì minus corpus, brevior cauda, rotundæ aures, & labia in proboſcidem declinantes diſtinguunt: dies hi totos dormiunt, noctu prædam venantur. Hautam, aut Ga-

zai

zai nemo unquam cibum, aut potum ſumentem videt. Sed, ne ferarum credar Hiſtoricus, hominum quoque Braſiliæ mores adferam: cultior hæc gens modò eſt, poſtquàm veritatis dies exorta, ac olim fuerit, dum gentilitatis tenebris cæcutiebat, tunc enim ſinè lege, ſinè capite nudi, ſinè omni tamen malitiâ, quod nemini non mirum videbitur, velut in primo eſſent innocentiæ ſtatu, ſui immemorem egerunt vitam. Ornamentum eſt maximum, nigro gummi totum corpus pingere, fruſta dein albi panni hinc, & indè agglutinare, inferius labium in prima ætate perforare huic pretioſum lapidem inſerere, & iſtorum plures vultui imprimere, auribus oſſicula, collo verò è conchis catenam ſuſpendere: in his omnis veſtium eſt luxus. Habitatio viliſſima è foliis, & ramis conſtructa, communiter quadraginta paſſibus longa, totidémque alta in modum inverſæ navis, ſub qua tamen uni ſubjecti Patrifamilias ducenti crebrò homines degunt: nocturnam quietem ſupra rete duabus extenſum arboribus capiunt; nunquam ſoliciti in craſtinum prædis vivunt. Pane, & vino carent, ſimiæ, cercopitheci, ceteráque turpia venatorum ſpolia epulas dant, quin & homines, quos bello captos victores in ſervitutem egerunt.

Na-

Naturæ ſunt melancholicæ, ſaltare tamen, & canere, ſed non ſinè ſumma gravitate illis quotidianum: inſtrumenta muſica cucurbitæ ſunt vacuæ piſis, aut lapillis impletæ, quas unà cum pedibus movent. Viſum habent acutiſſimum, diſcernunt ſiquidem medio milliari diſtantes, & infra aquas gemmas vident, rudes, nec non, nisì quinque numerare, &, quæ ſupra ſunt ſolis digitis monſtrare poterant, tribus carent literis F. L, R, quod non nemo turpi eorum vitæ adſcripſit: ſinè *Fide*, *Lege*, *&* *Rege*. Dum viſitandi causâ quis amicum convenerat, flebant, & ejulabant fœminæ, dolorémque, quibus poterant, teſtabantur ſignis, ob moleſtias in itinere ab amico toleratas, deterſis dein lacrymis ad epulas læti concedebant. Bene functus es dilectiſſime Zilherdace tuo munere, ſubjecit Zirfus, iter nunc à Braſilia in Floridam inſtituamus. Victus his turcicum, quod vocamus, triticum; fructus alii, qui in Europa creſcere ſoliti, aves, & feræ, quibus ſylvæ pleniſſimæ hìc abundant: vix enim volucrem, aut feram orbis habet, quam non in Florida reperies; maximum Incolarum bellum cum crocodillis eſt. Riſu digniſſima capiendi cervos eſt ratio. Venator cervinam pellem induit, cornua apponit, & in littore fluvii, ad quem

feræ

RPJCB


Ein Canadier


Eine Canadierin

RPJCB

feræ ſitis levandæ causâ venire ſolent, velut
alter cervus diſcurrit : decipit ille hac frau-
de venientem prædam, quæ nîl tale à men-
tito ſocio metuens propior facta ſagittâ,
ſternitur: tres autem in Florida diverſæ cer-
vorum ſpecies, primi bobus noſtris ſimiles
paſcua oberrant, ſecundi capita alta feren-
tes cornibus arboreis, tertii, ut rupi - ca-
præ non, nisì in montibus quærendi: pri-
mi dant barbaris pro nutrimento lac, alio-
rum pelle pro veſte, carnibus pro cibo utun-
tur. Ceterùm Floridani magni, & fortiſſi-
mi, turpiſſimi tamen, & fuſci oris ſunt: to-
tum corpus, quod extra veſtes patet, variis
figuris pingunt, & ne colores pereant, gum-
mi illinunt. Capilli longi ad genua de-
fluentes, quos tamen plerúmque implexos
capiti obvolvunt: currendi, & natandi
gens peritiſſima: ipſæ fæminæ proles hu-
meris geſtantes latos, & profundos fluvios
natatu trajiciunt: eum primo dignantur
honore, quem famis, ſitis, & ærumnarum
præ ceteris patientem vident. Vix hæc
diſſeruerat Zirſus, cùm Fridericum, Ma-
nilum, & Permanoffum appropinquantes
vident: quos comiter ſalutatos in itineris,
& ſermonis ſocietatem invitavit Sengeme-
rus. Fridericum ſimul interrogans, an
nihil unquam de Canada, ſeu nova Francia

 legiſ-

legiſſet. Legi, repoſuit ille, & quidem quàm plurima : Canada pars Americæ à diverſis ſeptem incolis habitatur : ſunt enim Hurones, Ondatavavati, Neutrenſes, Angatogenromonſii, Yroquoiſii, Alyonchini, & communi vocabulo Canadienſes dicti : pauper utrumque ſolum, fructus tamen, ſi ſedulò colitur, pluribus in locis multo reddit cum fœnore : Arbores agreſtes nuces, vaccinia, labruſcas, ſylveſtria pruna ferunt, ceparum, & alii magna copia, cucurbitæ item ingentes ſponte enaſcuntur, quas calido coquunt cinere, iiſque regiè epulantur. Arbores aliæ, raræ ceteroquin, fructûs tamen minimè feraces, & mole magnæ, & numero multæ creſcunt. Animantia inter reperies volucrem, quæ & ingratos Cati gemitus, & amænum avium melos imitatur. Sunt & lepores grato ore canentes; ceterùm meliore carne, quàm noſtri. Omnium colorum decora pennis expreſſa gerit avis alia, quæ ob exiguum corpus muſca dicitur. Novam ſe defendendi artem parvulum quoddam animal à natura didicit; vix enim perſecutor inſtat, abominando fœtore inſequentem pellit, quare à Gallis diaboli progenies dicitur : neque deſunt boves, aſini, porci, quibus, utì & canibus Dominos ſuos ex Europa ſequentibus, ſo-

licita

licita mater natura duplicem veſtem hyemis tempore, ut frigus intenſum tolerent, largitur. Tum Manulus ſermoni irruens, pauperiem, inquit, gentis hujus non miror, agrorum enim cultûs ignari erant, è ſolis ſylvarum ſpoliis viventes, antequàm Galli adveniſſent: pulcherrimi, ùt audio, homines, quare ſi bellum imminet, ut hoſti formidandi videantur, corpus ferarum figuris pingunt, aculeis perforant, carbonum cineres inſpergunt, oleóque, ut diutiùs aſcita turpitudo hæreat, inungunt. Gulæ minimè dediti, quare rarò ægroti; ſpecula minora collo inſerunt, & pyxidi nicotianam herbam continenti, quâ perpetuò utuntur, imponunt: ſumma ſalus verbo uno *Avoë* dicitur, hoc eſt, *bona dies*, valdéque ſibi urbani, politicíque eſſe videntur. Epularum initio leguntur ventura fercula, dein horâ cantatur integrâ, tandem finitis dapibus unanimi voce grates ſolvunt, *oh*, *oh* plenis faucibus intonantes; qui invitavit hoſpites, aut aliquid ferinæ prædæ attulit, nunquam menſæ aſſidet, ſed jejunus eam cantando circuit. Proles honore maximo Parentes colunt, nec facilè audies iis præſentibus filium, aut filiam loquentem. Gens tota viſu, auditu, ceteríſque, ùt dicimus, ſenſibus, præ aliis nationibus optimè in-

ſtructa. Famem decem, aut quindecim diebus auctam, intenſum frigus, morbos corporis ſinè dato doloris ſigno fortiſſimè tolerant; imò fœmina nulla, nec ſuo, nec altero marito cenſetur digna, quæ inter lacrymas, aut ejulatus prolem parturit: quam fortitudinem in ſe periclitantur duodecim annorum parvuli, carbonem accenſum colligatis brachiis imponi rogantes, támque immoti hærentes, donec ignis fuerit ſopitus: Memoriæ ſunt feliciſſimæ, quæ vel ſemel audiverint, ordine toto dein vitæ tempore enarrabunt. Laudâſtis ſanè, ſubjungit Permanoffus Canadienſes, novæ ſcilicet Franciæ incolas, & monuiſtis me novæ Hiſpaniæ, nimirum Mexici: hæc Joſepho Acoſta teſte, amæniſſima toto orbe eſt regio: ver hìc perpetuum, valles omnes aut ovium balatu, aut mugitu boum reſonant; medio reali viginti octo libras bubulæ, duobus, aut tribus ſaginatum ſabellicum emes; auro, argentóque abundant montes, quinta enim hujus pars annis ſingulis eruta Hiſpaniæ allata quinque, ſæpe ſex milliones æquat: defectu vini potum conficiunt, Pulke dictum, odore quidem ingratum, adeò tamen amicum omnibus, ut omni ſecundâ feriâ, recepto jam more inebrientur: qua de cauſa pro hoc Regi cenſum ſolvunt,

judi-

judicantes pecuniâ redemptam crapulam eſſe licitam ; modò poſt Hiſpanorum adventum mitigati eorum mores ſunt, vitámque nobis communem degunt. Aſt turpes, ùt audio, ſunt Mexicani (interpoſuit Sengemenius) non tales Maragnani, ſani enim, fortis, & formati ſunt corporis, vitæ diuturnæ, vegetam enim ætatem, dum nos fracti morti ſuccumbimus, incipiunt, & procul ultra annum centeſimum producunt. Narrat, Claudius Abbeville Capucinorum Ordinis, ſe inveniſſe homines centum, & nonaginta annorum adeò vegetos, ut nec canis conſpergerentur, quin etiam fœminas, quæ ſæculum ſupergreſſæ proles pendentes gerebant ab ubere, aptæ, ut novam ſobolem progenerarent. Velut corporis pulchritudo non naturæ donum, ſed artis opus eſſet, pingebant ſe variis à capite ad plantas uſque coloribus, labiis, auribus, quin & naribus gemmas inſerentes. Sylvas fluviis adjacentes, ut ab illis victum, ab his potum habeant, incolunt. Res tota domeſtica lecto è goſſipio, è palmæ foliis corbibus, & aliquot teſtis definitur. Etſi licitum eſſe pluribus jungi uxoribus matrimonio putent, plurimi tamen unâ ſolùm contenti vivunt. A parentibus filii, & viciſſim ab his adeò amantur, ut verbera proli infligere,

aut Parenti verbo reſpondere plùs, quàm ferinum eſſe judicarent: nunquam ſeparantur à genitoribus, laboris totâ vitâ comites; parem amorem (inuſitatum ſanè aliàs barbaris) captivis ſuis exhibent filiorum inſtar eos complectentes. Unum etiam Deum Authorem naturæ ſemper colebant. Atque cum his Americæ deſcribendæ finem imponamus. Tu Zirfe, & Zilherdace heroës parvulos ejusdem enarra.

§. XII. & Ultimus.

De Parvulis Americæ Heroibus.

SCeleratus Nunezu (repoſuit ille) Patri Alphonſo Aragonio in Paraquaria veritatem noſtræ fidei prædicanti infenſus collectis barbaris ſacro fonte mundatos ubique colligit, aquâ dein calidâ perfuſos, velut nuper ſuſceptam ſalutis undam abluere, linquâ rasâ, ſacri velut ſalis ſaporem, fricto pectore, ſcapulíſque, velut benedictum oleum detergere vellet, miſeros tenebrarum Principi conſecrat: tandem, dum viri omnes agris colendis intenti procul oppido abeſſent, templum invadit, flammáſque eidem injecit: ſed fruſtrà, inter medios enim undique excitatos ignes integrum ſtetit ſacellum. Ut viſum hoc à pueris, neſcio

quo eorum duce, congregati, arcus, & ſagittas arripiunt irruenti hoſti obviam procedentes: vix propiores facti, unus eorum felici ictu ſternit barbarum, mirati hi inſolitam juvenum audaciam, monent, deſiſtant à temerario auſu, non enim cum iis, ſed cum ſolo ſacerdote bellum geri: audito hoc magìs animati parvuli dato ſigno omnes ſimul ſagittas ejiciunt, lædunt plurimos, ſedecim ſternunt, & licèt ſumma vi reſiſterent, hoſtium omnes, nemine ſuorum vulnerato, in fugam conjiciunt.

Scilicet æterno temeraria bella tonanti
Qui movet, infirmâ proſtratus funera dextrâ
Mæſta ſubit, doctus nîl contra ſidera vires
Inſanas valuiſſe hominum. Fortiſſima mundi
Robora Divorum tecta auſa laceſſere bello,
Atque Giganteo numen detrudere faſtu,
Fabula Caucaſeo tumulaverat illa ſepulcro,
Fabula quæ veri ſolet eſſe figura latentis.

Triumphârunt hi, addit Zilherdacus, nemine ſiniſtrum quidquam patiente: ego inter tormenta in Canada fortiſſimum dabo pugilem puerum Guilielmum Couſtoure, his in regnis natum, & ad fidem converſum. Erat is itineris ſocius Patris Iſaaci Iogues; quo ab Hiroquiis capto, ſalvus, & incolumis fugâ evaſit, & fuiſſet procul omni periculo, dum ſe ipſum de fuga incuſare: quid? (aje-

(ajebat) fortitudinis tuæ arenam perdes: an parentem, qui te ſacro fonte cœlo genuit, in hoſtium relinques manibus? I, & conſtantiæ tuæ ede ſpecimina; dixit: & glorioſo reditu in hoſtes incidit, à quibus mirè afflictus digitis tandem in augmentum gloriæ ſuæ mutilatus erat. Atque cum hoc, ſubjungit Sengimenius, ſermonum omniumde Indis finem faciamus.

FINIS.



NO-

NOMINA OFFERENTIUM

Ordine Alphabetico.

CArolus Joſephus L. B. ab Cöttl.

Erneſtus Sigismundus L. B. ab Häcklberg, & Landau ex Illuſtriſſima FundationeKirchbergiana.

Franciſcus Antonius Mechtel, L. B. ab Engelsberg.

Franciſcus Joſephus Nobilis Dominus de Blumenthal.

Mariophilus Ignatius Nobilis Dominus de Blumenthal.

Provinciales, Equites, & Perilluſtres.

ANtonius Xaverius Nepomucenus Nobilis de Focky,

cky, S. R. I. & Regni Hungariæ Eques.

Bernardus Ignatius Franciſcus ab Unkhrechtsberg, S. R. I. & Regni Bohemiæ Eques.

Ferdinandus de Schwaiger.

Franc. Frank de Frankenheimb.

Franciſcus Nobilis de Schwingheimb S. R. I. Eques.

Ignat. Andr. Nobilis de Menshengen S.R.I. Eques, & Inferioris Auſtriæ Provincialis.

Joannes Carolus Ignatius Schwarzl de Röttenberg.

Joannes Franciſcus de Gobern.

Joſephus Eugenius de Thau, è Seminario SS. Ignatii, & Pancratii.

Paulus Joachimus à Dolberg.

Philippus Joſeph. de Herdlizka.

Præ-

Prænobiles, & Nobiles.

ANdreas Carolus Joſephus Stanislaus de Friz.
Antonius Xaverius Alvera
Antonius Vitus Mülnitſch.
Antonius Luman.
Bernardus Haymmerle.
Bertholdus Sagmiller.
Carolus Joſephus de Sum̃ating.
Carolus Gnandl.
Carolus Klein.
Chriſtophorus Joſephus Mayr.
Chriſtophorus Ludovicus Marianus Becceler.
Erneſtus Mejack.
Franciſcus Auguſtinus Laurentius Antonius de Payerau.
Franciſcus Joſephus Lehner.
Franciſcus Wenceslaus Hüller.
Franciſcus Mülnitſch.

Fran-

09-78

Franciſcus Thomas Reeſch è Se-
minario SS. Ign. & Pancr.
Fridericus Fierer.
Ignatius Hüller.
Joachimus Joſephus de Ziegler
Joannes Joſephus Moſer.
Joannes Joſephus Pohl.
Joannes Michaël Nepomuce-
nus Kargl.
Joannes Kürchberger.
Joannes Opfferman.
Joſephus Georgius Nicolaus
à Feichtenberg.
Joſephus Heydtmayr.
Joſephus Martinus Hauer.
Joſephus Gnandl.
Joſephus Hamerl.
Mariophilus Probſt è Cæſ. S. J.
Conv. Coll.
Nicolaus Salliet.
Petrus Salliet.
Wolffgangus Naller.

J726
H694d

p.r.k.r
IF
03.17.08